
XI
LIBAV.
et VOET.
de Com.
1665


1
6
322









Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.322


1K.6

XI
LIBAV. er
VOET. de
Com.



ANDREÆ LIBAVII
Medici & Philosophi Celeberrimi
DECLAMATIO
DE
COMETA
ANNI 1604.

ET

GISBERTI VOETII *Theol. in Acad.* ULTRAJECTINA *Professoris.*
EXERCITATIO
DE PROGNOSTICIS
COMETARUM.





AMSTELÆDAMI,
Apud JOHANNEM JANSSONIUM
à WAESBERGE & ELIZEUM WEYERSTRATEN.
A. D. CIƆ IƆ C LXV.

Clariss. Viris

GULIELMO STRATENO

Medecinæ Doctori, ejusdemque in Acad. Ultrajectinâ *antehac Professori, nunc Illustr. & Celsiss. Principis Arausoniensis Archiatro.*

ARNOLDO SENGUERDIO

Philosophiæ Doctori, ejusdemque in Acad. Ultrajectinâ *antehac, nunc vero in Illustri* Amstelodamensium *Athenæo, Professori.*

Viri Clarissimi, Collegæ & Amici Honorandi,



Um nuper conspecto novo phasmate multus & varius esset sermo de Prognosticis Cometarum; accidit ut

nescio quâ occasione perlustranti mihi clariss. medici & philosophi ANDRÆÆ LIBAVII tract. *de universitate & originibus rerum* in oculos & manus incideret declamatio ejus de Cometâ anni 1604. quæ ad finem libri 5. inserta est. Ea lecta & relecta ita mihi placuit, ut de eadem denuo typis evulgandâ cogitarem. Dum in hoc sum, factum est, ut cogitatione aliâ aliam, ut fieri solet, trahente, ulterius deliberatio subiret, an præsenti rerum statui, & veritatis ac pietatis promotioni non conveniret, si studiosi nostrates, quorum

aures ἀεροβατοῦσαις & volaticis ſuper de Cometoſcopiâ ratiunculis tunc verberari contingeret, de innoxiis & conſenſu ſapientum comprobatis Prognoſticis, quæ Libavius verbulo tantum attingit, perſpicuè inſtruerentur: ut haberent, ubi pedem figerent. Quid fit! deliberatione habitá decerno, ſcribo & hanc, quam videtis, exercitationem typographo typis deſcribendam trado. Eam ſub celeberrimi nominis veſtri auſpiciis exire volui: tum ut honeſtæ conſpirationis & ἰσοψυχίας in novellæ tunc Academiæ quam

florentem ſatis reliquiſtis, utilibus ſtudiis perpetuò augendis aliquod exſtaret μνημόσυνον; atque unà amicitiæ, quamdiu Deo viſum, ſtudiosè colendæ & conſervandæ arrhabo.

Accipite ergo chartaceum hoc munuſculum eo, quo offertur, animo; & in Domino Soſpitatore noſtro ſalvete.

ULTRAJECTI IV. Eid. Maj. CIↃ IↃ C LXV.

Veſter omni officio

GISBERTUS VOETIUS.

INDEX CAPITUM.

Vni-



DE-

DECLAMATIO
DE
COMETA
ANNI 1604. *In Octobri viso.*


Ravi admodum & digna memoratu sententia Seneca de Cometis acturus auspicatur orationem : „ Nemo „ usque eo tardus & hebes & demissus in terram est, „ inquiens, ut ad divina non erigatur, ac tota mente „ consurgat, utique ubi novum aliquod è cœlo mira- „ culum fulsit. Nam quamdiu solita decurrunt, magni- „ tudinem rerum consuetudo subducit. Ita enim com- „ positi sumus, ut nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sint, transeant: „ contra minimarum quoque rerum, si insolitæ prodierunt, spectaculum „ dulce fiat.

„ Hic itaque cœtus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distin- „ guitur, populum non convocat : At cum aliquid ex more mutatum est, „ omnium vultus in cœlo est. Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet. „ Nemo observat lunam, nisi laborantem. Idem (addit) in Cometis fit, si ra- „ rus & insolitæ figuræ ignis apparuit, nemo non scire quid sit, cupit, & obli- „ tus aliorum de adventitio quærit, ignarus, utrum debeat mirari, an time- „ re. Adeo naturale est magis nova, quam magna mirari. Hęc ille de suis temporibus quidem, sed non minus de nostris quoque vere disseruit. Apparuit anno superiore in mense Octobri sydus quoddam antea non visum in cœlo inter Saturni & Jovis stellam in Sagittario. Incredibile est, in quas spes metusque conjecerit doctos, indoctos, majores minoresque gentium etiamnum hodie. Hinc gloria ingeniorum quæritur, hinc vaticinandi peritia. Qui annorum fata evolvunt, & literis fastisque publicis exponunt, de conjunctionibus Planetarum formidandis, de Ecclipsibus horrendis, aliisque ad mundi perniciem, ut ajunt, conspirantibus cœli signis dira pronunciant. Hæc omnia vilescunt audita Cometæ mentione. Non stupescimus mundi ruina imminente, non horrendis, qui in oculis omnium sunt, ad bellum apparatibus : Non moribus in interitum bonæ disciplinæ propendentibus : Non impietate execrabili multorum, non hæresium violen-

tia, non sacris profanisque circa nos omnibus malis: in solo Planeta hæremus.

Hoc dirum mortalibus sydus appellamus: Hoc quid significet futurorum solicite inquirimus, cumque divini essent libri ex quibus Ecclesiæ & Reipub. fata licet abunde petere, hos tamen aliqui non adeunt, nec consulunt prius, quam monente excelso cœlo face insolita. Sybillini olim apud Romanos libri lucem non aspiciebant, nisi cogentibus portentis. Tunc concurrere Pontifices, tunc sacraria recludi, tunc omnium animi in expectationem eventuum erigi. Videntur mihi similiter agere & agi nostri Astrologi, qui fortasse nunquam ne pagellam quidem divini codicis vertissent, nisi à Cometa inducti, unde tamen potius sibi laudem sagacitatis quærere, quam populorum saluti consulere velle perhiberi possunt.

Nemiremini, me non de solis admirabili splendore, calore, cursu: non de cœli summi vertigine: non ursis, orione, & cæteris syderibus omnibus magnis & venerandæ Dei omnipotentiæ præclaris testibus sermonem instituere: non de motibus aëris, & terrarum: non de maris prodigiis, & Ecclesiæ, rerumque publicarum consultis, actibus, eventisque, aut literatorum, & populorum conatibus, sed de Cometa disserere velle. Insitati syderis quæstio occupatos tenet animos.

Illa tanquam vetustate obsoleta & pridem satis superque cognita, seponimus: Et tanquam inter manus oculosque nostros versantia aspernamus, quia ut Physici censent, à consueto nulla passio; partim etiam quia videntur in potestate nostra & opinionum turbis versari, non magni pendimus: sydus prodigiosum in cœlo præterire non possumus, facturi idem in igne focorum nostrorum, si in cœlo appareret, & non nostris manibus ex silice excuteretur, aridoque nutrimento pinguique pasceretur. Sed ne suspensi diutius hæreant animi, de Cometa anni superioris ita confido me dicere posse, ut quomodocunque innotescat primum natura ejus: Deinde quid eum portendere seu homines arbitrentur, seu alicui verisimile videri possit.

Notum est litem hodie moveri Philosophorum antiquis illis, qui se Aristotelicos ab autore factionis aut Peripateticos à disputandi consuetudine appellitant, de Cometa, quem prisci illi ex elementari exhalatione calida sicca nasci, & in aëris regione superiore consistere, conflagrareque instar ignium cæterorum inter meteora arbitrentur, & hujus suæ sententiæ fiducia, vetustiorum opiniones, qui secus de illo sunt locuti, & senserunt, non dubitant reprehendere, & confutare.

Negant autem recentes omnem Cometam sic fieri, & ex istiusmodi materia esse, putantque se demonstrare evidentium observationum argumentis posse, aliquos Cometas ultra aërem in regione ætherea inter sydera vagantia

gantia

gantia exoriri, sive materia sit cœlestis quędam concretio, sive subvecta eo pars ignis purissimi, quem ajunt confinia lunæ occupare, sive etiam aliquid sit de aquis istis, quas sacræ paginæ ultra cœlum collocant, iisque ambitum mundi claudunt, sive quicquam aliud denuo creatum, aut tandem collustratio syderum in disposita cœli parte, non semper eodem modo circa raritatem & densitatem affecta.

Inter exempla vero hujusmodi Cometarum ponunt quidam plures, aliqui pauciores, differiturque nostra ætate ut plurimum de stella ista, quam patres nostri, & non pauci etiam ex vestro numero viderunt anno septuagesimo secundo & tertio ultra millesimum & quingentesimum, in sydere Cassiopeæ: affinem dicunt illam, quam mense Octobri anni nuper elapsi Astrologi annotarunt in signo Sagittarii inter Jovem & Saturnum boreales, & Martem australem, adeo celso loco refulgentem, ut credatur etiam superasse Saturnum, & terrenum globum nonagies semel magnitudine vicisse.

Hic Cometarum locus inauditus & incredibilis est illis, qui pro Aristotelica sententia arma capiunt, nec vobis obscuræ sunt, quibus utuntur, rationes. Æternis enim legibus disjunguntur elementaria & cœlestia, servantque unaquęlibet stationes suas tam exacte, ut alterum in alterius locum ferri nequeant & prius formam suam exuat, quam alienam provinciam, ad quam ferri, dicunt ferri ad formam & perfectionem suam, ut ibi quies sit & finis lationi, invadat. At hęc cœlo inferri non potest: aut si potest, fatendum est in æterno esse aliquid non æternum, posseque pati turbas mutationum, id quod hactenus à principio ab omnibus permansit alienum, nec quicquam admisisse labis est deprehensum.

Observarunt sęcula conflagrari Cometas, & esse sydera repentina. In cœlo vero nihil est nisi purum & stabile. Corruptibile ibi nihil, nec quicquam generabile, imo ne qualitates quidem elementares, quas primas activas passivasque vocant, nec potentia corporum contrarii susceptivorum unquam ibi est animadversa. Quid ergo persuadeat, ut ibi ponantur Cometæ, ubi per naturam ut sint fieri non potest? Atqui evidentissima est demonstratio Astrologorum, qui id constanter asseverant.

Respondent Peripatetici, fieri posse, ut in ætherea parte aliquid seu vere deprehenderint, seu putent deprehendisse, sed quod Cometam esse & appellari debere, longe dicunt incertissimum. Quid enim si deceptio vultus esset, & refractio quędam syderis alicujus potentis? Quid si stella quędam extra ordinem apparere jussa, ab eo, qui omnia in manu sua habet & voluntatis suæ legibus dispensat? Accedunt Theologi, * angelum potius aliquem

 specie

* *Malthielem vocant Ex.* 13. 21. 22.

ſpecie flammea apparentem exiſtimantes, cum olim in deſerto ignis columniformis Iſraelitarum dux eodem apparuerit nocte vultu, nec id alienum ſit à divinis oraculis, * quibus monemur, Deum facere angelos miniſtroſque ſuos flammam ardentem, qua ſpecie angelus quoque Manohæ collocutor in cœlum ſubvolavit. Hæc in defenſionem Ariſtotelicorum placitorum proferuntur cum aliis multis: Et ſane quædam natura ſunt conſentanea, quædam Ariſtoteli phyſice loquenti, & in his, quæ ut plurimum vel ſemper eveniunt, moranti, contentoque ſi ea dixerit de remotis illis, quæ poſſibilia videri poſſunt, non adverſantur. Si eſt angelus aliquis futurorum nuncius, aut de novo divinitus excitata ſtella, nihil detrahitur Philoſophiæ peripateticæ, quæ genus naturale non excedit. Itaque ne Cometam quidem vocat ejuſmodi apparitionem, niſi quis à ſimplici loquendi genere velit ad picturatum illud, quod tropicum vocant, diſcedere. Sed in hoc ſcientia non eſt, nec licet aliquid demonſtrare figurationibus talibus. Quocirca non debuit quidam recens Aſtrologus nuper invectus eſſe in Ariſtotelicam diſciplinam, ejuſque Profeſſores, quaſi & cœci ſint & obſtinati, ut qui nec videant in cœlo quoque fieri Cometas, nec admittere demonſtrantes, agnoſcereve fortuitos ibi ignes velint. Ego quidem hujus litis arbiter nec volo eſſe, nec poſſum. Veruntamen audivi aliquando præceptorem noſtrum ea de re ita diſſerentem, ut facile videantur conciliari opiniones poſſe. Duplex enim genus Cometarum ſtatuendnm eſt, unum quod Ariſtoteli foret æquivocum (ut artis termino deſignem quod ſic melius intelligitis, quam circuitione & ambagibus vocum) nempe ex affectione ſydereæ naturæ natum, quæ effectio nullam invehit cœlo corruptionis aut ſimilium paſſionum deſtructivarum neceſſitatem, ſed potius eſt perfectionis quam ideo perfectivam vocant, circa raritatem & denſitatem ejuſdem corporis ætherei, quod aëris inſtar fluidum inter ſphæras vel circulos intelligimus, evenientem. Quocirca facile hoc admitti poterit, ſive ſplendor denſati ſit refractio à ſole, ſive proprium lumen; cum Ariſtoteles ipſe ſtellam denſiorem partem ſui orbis appellet, & luna ſatis indicet in alieno corpore per ſe non lucente, relucere alienum lumen: Sol vero, & fors etiam cæteræ ſtellæ proprium habeant. At inquies iſta foret ſtella vera. Sit inquam, ſed cur non poſſit Cometa cœleſtis appellari, cum non ſit, ut cæteræ ſtellæ, conſtans, & ęternæ durationis? Verus Cometa eſt ex materia pereunte, non evaneſcente propter rarefactionem ex oculis, ſed vere deſinente & corrupta. Hęc quidni in cœlo ſit, reponunt ii, qui Ariſtotelem carpunt. Ignoravit Ariſtoteles aquas eſſe ultra firmamentum. Quid ſi ignoraverit ſimul concretionem ſimilem fieri poſſe in firmamento? Num ejus inſcitia rem ipſam evertat?
Sed

* *Ebr.* 1. 7. *Pſal.* 103. 4. *Iud.* 13. 20.

Sed nos Aristotelem excusamus. Philosophatus enim est de naturâ sic, ut eam jam institutam deprehendere potuit, non ut ab omnipotente movetur & disponitur: unde forte nec credidisset solis statum & reditum. Idem etiam de remotis istis à sensu nostro modice disseruit, venia dignam judicans circa ista hallucinationem. * *Partem illam æternam*, inquit, *& proinde nobilem ac divinam minus contemplari possumus, propterea quod admodum pauca illius sensui pateant, quorum beneficio tum de ea ipsa parte divina, tum de iis, quæ noße cupimus, facultas nobis cogitandi indagandique suppeditetur.* Hæc & alia pulcherrima ibi Aristoteles, ex quibus colligimus eum non desperasse de sæculorum observationibus arbitrantem multa nos in cœlestibus latere propter sensuum hebetudinem, aut causam quandam cur non appareant, quæ tamen, si prope essemus, cerneremus: ex quo numero est affectio illa, qua dicimus emergere Cometas cœlestes; quanquam Aristotelici hujusmoili apparentes concretiones non facile nominaverint Cometas, utpote suis principiis inhærentes, nec vocabulum ultra rem suæ contemplationis extendentes, ita ut laborandum sit his, qui Aristoteli contradicunt. Aliud enim quid istud apparens in cœlo est. Cometa non est, si recte usurpare vocabulum volumus. Sed nec magnopere contendendum arbitror de nomine rei, modo in re sit consensus. Imitemur illud Canonicum: Quandoquidem Alexander vult esse Deus, sit sane Deus: Et similiter dicamus: Quandoquidem volunt aliqui istas in cœlo luces esse Cometas, sint sane Cometæ; modo non damnentur Peripatetici, qui alterum tantum genus ex ignita halatione conflatum, certaque specie informatum, Cometam proprie nuncupant. Horum simulacra fieri quoque in nubibus vel coacta ætheris parte possunt per receptionem resplendentis à sole, tanquam in speculo, luminis, siquidem in cœlo tale quid fit, & non potius densatus æther per se lucet (non enim videtur omnium stellarum eadem conditio esse, quod maxime declarat dispar solis, lunæ, fixarumque & errantium natura.) Illud plus negocii facessit divinatoribus nostris. (Qui ex stella anni 1604. tanquam ex Cometa præsagia petunt, nisi prius probaverint Cometam esse, cui conveniunt illa effata, frustra præsagiunt.) Nam si in cœlo insolita lux stellæ instar apparens non est Cometa, frustra ex verorum Cometarum fatis & eventibus nobis futura pronunciant, sed adiguntur ad experientiam plane novam, quam si non habent, convincuntur imposturarum & fraudum in vaticinando. Quod enim non est Cometa, non includendum est significationibus Cometæ, cum palam sit, ubi res non est, non posse esse rei adjunctum. Et sic absolutam puto primam orationis meæ partem. De significatione, quod erat propositi membrum secundum, mal-

* 1. *de part. an.* 5.

lem audire peritos, ſapienteſque quam ipſe dicere. Neceſſe enim eſt eum: qui velit de ſyderum inſolitorum fatis pronunciare, divina humanaque ſapientia inſtructiſſimum eſſe, & longo uſu rerum diu exercitatum, tantaque memoria, ut præteritorum præſentiumque exquiſite meminerit, omneſque hiſtorias mundi in promptu habeat, nec minus poſſit dextre & induſtriè ſimilia conferre ſimilibus, conſideratiſque omnibus rerum & eventuum circumſtantiis aptiſſime collimare, ne quid de divino conjectandi dono loquar, quo Danielem Prophetam, Joſephum & alios legimus prę cæteris fuiſſe præditos. Liquet ſtatim quam multa in vatibus noſtris, qui diaria ſcribunt, deſideremus. Ex alienis pendent obſervationibus, & quod in Babylonia, Chaldęa, Ægypto & alibi obſervatum geſtumque eſt, cœlo & hominibus accommodant noſtris, quaſi non plus, quam loca ipſa, ingenia & res noſtrorum ab illorum moribus diſtarent. Deinde non cogitant, quæ quibus cohæreant; ſed cumulant facta ex diverſiſſimis alieniſſimiſque totius mundi partibus, concluduntque nobis imminere, quod aliquando poſt ſydus accidit Indiæ, aut Africę, aut Aſiæ, idque ne totis quidem, ſed pago vel oppido, quaſi credendum foret ejus, quod evenit, cauſam fuiſſe antecedens aſtrum. *Longe veſaniores ſunt, qui defectus ſolis & lunæ*, & ſydera magnaſque conjunctiones negant jam, cum ſunt, operari, ſed poſt quatuor, quinque, triginta. *Roſlinus nunquam putavit Cometam* anni 1572. niſi elapſis annis 30. operaturum, ſed Crabbe omnia eventa in Belgio, Gallia, Hiſpania, Anglia, Polonia, aut plures annos, quibus fere & homines interierunt ipſi cum ſyderibus, aut ſaltem mores ſunt in plane novos transformati, unde neceſſe eſt nova conſilia & acta mergere magis, quam à ſyderibus. Vereor, viri reverendi & conſulti, ne inter manus creſcat oratio: Quam enim ampla ſit & fœcunda ſignificationum aſtralium materia minime ignoratis. * Sed in pauca contraham, compeſcamque orationis curſum. Significata Cometarum vel ex natura materiæ petuntur, vel obſervationibus. *Aſtrologorum*, *quæ ſunt ex parte artis ipſius*, *ex parte quorumlibet eventorum*, ita ut quædam regulis artis ſint incluſa, quædam vero colligantur ex populo: vel tandem ex ſapientia divina & Theologiæ axiomatibus eliciuntur. Si ſtella anni ſexcenteſimi quarti ſuper milleſimum à nato Salvatore eſſet Cometa naturalis juxta ſententiam Peripateticorum, Ariſtotele judice naturaliter nihil uſque adeo occultum & inſuetum prænunciaret, utpote qui ſuos Cometas ait, ſi ſint crebri aut magni, tempeſtatem ventorumque & imbrium in temperantiam ſignare, ut loquitur Seneca, ſeu ut eſt in textu Philoſophi: Quando crebri & multi apparent ſicci & ſpirituoſi notabi-

liter

* *Vngariæ ei aſcribit*, Tobias Mollerus a. 1600. prophetam novum expectavit *in præfatione Calendarii a.* 1584. *ſicut jam Iohannes Crabbe etiam novum prædicit.*

liter fiunt anni: Quando autem rariores & tenuiores magnitudine similiter quidem non sit tale, attamen frequenter fit quidam excessus spiritus, aut secundum tempus, aut secundum magnitudinem.

Hinc interdum dependent portentosa illa ut lapidum ex aëre, quo prius sublati impetu ventorum erant, casus: motus terrarum, inundationes & similes calamitates, sicut & ex siccitate nimia fames, ex aëre infecto pestis, hujusmodique multa, quæ ex materia halituosa Cometæ, fumis, reliquiis, ventis, motibus & aliis exoriuntur. At Aristotelicum Cometam istum non fuisse, contendunt Astrologi.

Quid ergo soliciti sumus de meteorico naturalique significatu? Si ejus materia fuit cœlestis, & ætherea substantia, num metuendum est, ne cœlum ruat? Num rupturæ instant, & decubitus aquarum ultra cœlum, adeoque diluvium generale? Non sinunt nos ita ominari sacri Canones. Non enim aquis & diluvio, sed igni servatur mundus. Nihil elementare concludere ex eo possumus naturaliter ob materiam, quod nihil habet elementare. Quid si diceremus in eodem signo concursum trium summorum planetarum ætheris parte coacta resplenduisse sicque tanquam per speculum syderis novi phasma procreasse? Novum sydus novam potestatem habet, aut imitatur naturam primorum. Si novam habet, quia ut Physici ajunt, inferiorum omnis potestas cœlitus legitur, novorum effectorum expectandus ortus est.

Hic autem nihil certi est, sed suspenduntur animi metu alicujus futuri, si malum sit, aut spe, si bonum, incerti quicquid id tandem sit, nemine eximente dubium, nisi divinitus excitato Propheta, aut fortuito conjectare, quales sunt illi, quibus sæpe in divinando falsa, forte contingit aliquando verum attingere, ut Calendariographis. Omnino ex natura nihil possumus demonstrationis de significatione aut firmitatis petere sed de materia specieque & distantia aliisque saltem nonnihil probabiliter disserere licitum est. Consulamus Astrologorum commentario & placita. Hic miscetur sæpe natura, artis observationibus, & causę evidentes occultis junguntur. Porphyrius dixit Cometam ad austrum tendentem excitare pluvias: ad Boream, siccitates: ad ortum, pestes & mala maxima: ad occasum, optimam anni constitutionem.

Cardanus inter sex magnas in cœlo res (quę sunt, conjunctio Eccliptica-rum octavi & noni cœli, Cometa, Ecclipsis, conjunctio Saturni & Jovis, conjunctio luminarium cum fixis) Cometam ponens corrigit Porphyrium, & si tendat ab ortu in occasum, vult legis mutationem signari, quod is motus fiat contra ordinem signorum. Sed vana est etiam hæc consideratio, si nec Cometa fuit ista stella, nec multum progressa est adeo, ut etiam

stare

ſtare judicata ſit. Vidimus Roſlini Chartam, omnia ſecunda & felicia ex illa ſtella nobis promittentem: vidimus alium, qui nihil non mali tam ex illa colligit, quam ex anni Septuageſimi ſecundi aſtro, qnod tamen Thobias Mollerus tunc in felicibus habuit, ſicut Plinius ſydus Julium, quod Auguſto apparuit circa undecimam diei. Decernunt aliqui lætam omnium malorum cataſtrophen & fauſtum eventum bellorum in Pannonia, Belgio & alibi, ſimulque euangelii victoriam & curſum per orbem totum more fulguris.

Addunt & novum Prophetam. Aliqui ultimum diem præſagiunt & deſtructionem antichriſti: jungunt autem ſtellæ iſti annos jubileos, & hinc conficiunt mundum conflagraturum eſſe anno milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo ſexto. Hæc illi unde quęſo? An non ex ſuperſtitione Aſtrologica & perſuaſione ſapientiæ præ cęteris ſagaciſſimę? Non ſic vultures bellum Julii & Pompei olfecerunt, quam hi ruinam cœli.

Qui magis accedunt ad Aſtrologorum decreta primum in cœlo notant trigonum igneum, cujus pars eſt Sagittarius: Deinde intuentur trium Planetarum conjunctionem in eodem ſigno. Trigonus iſte dicitur res maximas ſignificare: adhuc majores conjunctio trium ſummorum errorum. (Cardanus non magni æſtimat conjunctionem Saturni & Jovis, quia principium congreſſus ſit inobſervabile. Thobias Mollerus & alii omnia ſumma inde divinarunt, præſertim anno 1583. cujus eventus imminuerit anno 1588. vel 1590. Et ſane tunc claſſis Hiſpanica ab Anglis eſt ſuperata.) His quia acceſſit Cometa, qui dicitur omnia turbare Cardano, neceſſe eſt ad ſummum omnium magnorum mentem advertere niſi fortaſſe, ſiquidem Cometa turbat omnia, etiam regulas aſtronomorum, & eorum mentem implicat & quod non ſtultę dixeris, Deus ideo adjecit planetam iſti conjunctioni, ut vatum opiniones & pręſagia eorum confunderet omnia, quo ipſo portentoſa iſta ex magna conjunctione hominibus prędicta in incertum cadunt, id quod evenire videmus.

Nam Geometra quidem Johannes *Crabbe Wolfenbutelius omnia dira pronunciat ex Cometa: Eliſeus Roſlinus omnia fauſta, tertius quidam miſcet eventus: Nam adventum Chriſti*, Euangelii in toto orbe receptionem, mortem principis (fortaſſe Papæ) & exortum novi, qui religionem ſit propagaturus ex cometa vidit, qui Poëtis eſt ſanguineus, triſtis, feralis, infelix horrificus, exitialis. Jam ſiletur de conjunctionis iſtius horrendis effectis, & hæretur in cometa. Hunc ajunt fauſta indicare, quia ad Jovem propius acceſſit, qnam ad Saturnum: Et fortaſſe dicendum eſt, quod illa felicia ſint ex bellis proventura à meridie, hoc eſt, Italia, Africa & vicinis excitata, quia Mars à meridie aſpexit Jovem. Sed in qua re erunt illa fauſta? in legibus ſacris

&

& politicis, quia conjunctio ista de legibus decernere creditur. Quocirca si quid veri in astrorum judicio est mutabitur status *politicus & Ecclesiasticus ex malo in bonum, sed non sine præcedentibus turbis.* Unde fortasse uterque recte dixit, tum qui fausta, tum qui infausta respondit.

Nullum enim bonum magnum magno malo succedens sine mutatione in terris grandi est: Et mutationes tales sunt periculorum plenissimæ. Id autem historiis declarari potest amplissimis, quas ego cujuslibet diligentiæ evoluendas, & huc referendas committo. *Ad prognosticum Theologicum accedo.*

Quid itaque sacri Canones *nobis de insolitis in cœlo seu stellis, seu ignibus suppeditant judicii? Primum monemur quidem in cœlo futura esse signa & prodigia minime vilipendenda, sed nec metuenda his qui redemptionem à pessimis mundi moribus expectant quam desideratissime. Notum est illud: A signis cœli nolite timere:* Apud Esaiam irridentur Babylonii, qui syderum contemplationi tam multum tribuebant, ut omnia hinc sibi explorata pollicerentur, sicut nec nostro tempore desunt, qui nobis obtrudunt chartas Astrologicas ab aliquo syderum perito in India, Babylonia, Ægypto, Chaldæa, confectas, in quibus terris tamen hodie, nihil est præter barbariem immanem, mirumque est aliquem Mahometicolam non sanæ mentis astromanem jus accipere in fata nostra, eique plus tribui, quam peritissimis totius Europæ Astrologis. Sed noster Propheta sic: * *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum.* Stent & salvent te vates cœli, qui contemplabantur sydera & designabant menses, ut ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, &c. Hæc puta dicta esse etiam illi, qui Germaniæ fata digessit juxta Deos sphærarum gubernatores, audacter præmittens divinationi suæ versum hunc: Frustra hominum sortes explorat, qui astra non consuluerit: Imo, inquam, non frustra. Falleris enim ô Astrologe vane, nobisque ex astris putas depromere ea, quæ pridem legebamus in prophetia Carionis. Sed nostrum Prophetam attendimus magis, qui non jubet adire vates, ariolos, augures, Pythones, mortuos, Astrologos, sed legem & testimonium.

Cæteri Ptolemæum qui in Ægypto cœlum est contemplatus & descripsit vaticinia, quanquam mirifice à Cardano illo vanissimo exagiretur, tamen tanquam Deum sequuntur, & nobis ex ejus decretis dira recitant. Jerem. 10. 2. *Juxta vias gentium nolite discere & à signis cœli nolite metuere: quia leges populorum* (Arabum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Ptolemæi, Cardani, &c.) vanæ sunt, &c.

At nos vatem veriorem Esaiam consulimus qui de Ægyptiis hæc habet: *Evacuabitur spiritus Ægypti in visceribus ejus & consilium ejus dissipabo: Et inter-*

* *Cap.* 4. 13.

terrogabunt simulacra sua, divinos suos, & Pythones, & ariolos. Et concludam Ægyptum in manu dominorum crudelium: Item: *Stulti principes Taneos: Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens: Ubi nunc sunt sapientes tui? Annuncient tibi & indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum:* Item, *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis.* Facessant ergo ista vaticinia Ptolemaica nosque ad alia vertamus solidiora minimeque fallentia, Dei veri nimirum oracula.

Num autem nihil seu mali seu boni eventus ex illo sydere est pronunciandum? Ego quidem, viri reverendi & prudentes, assensum hic cohibendum esse puto, Christumque verbumque ejus amplectentibus, & fideliter sequentibus hominibus, quos oportet contentos esse prædictionibus Spiritus Sancti infallibilibus. *Signa fiunt in cœlo: sed quid hæc in specie* (nota) *prænuncient non scrupulose inquirimus. Satis est nobis qui indicent malitiam, & pericula ultimorum temporum, sintque piis instantis liberationis præsagia, non naturalia, sed divina voluntate* (nota) *ordinata:* malis autem exitii pessimi preludia & præmonitiones, ut qui sapere velint, sciant horam instare correctionis? qui nolint, suo periculo experiantur exitum.

Alioquin qui scire cupit de Ecclesia, de regnis mundanis, de studiis sapientiæ, de populo, & aliis, non opus habet caput ad cœlum astriferum levare, sed ad cœlum Biblicum, in quo invenitur sydera futurorum certissimi indices. *Qui mundo bona ex illa stella vaticinantur*, & Prophetas novos promittunt, incidunt in judicium Spiritus Sancti de falsis vatibus qui dicent, pax & securitas, cum tamen neutrum possit esse ultimis diebus, juxta oracula salvatoris, quę descripta habemus in Euangeliis, * ubi ipse Dei filius quęrit, num qui putet se fidem inventurum in terris, cum venerit? D. Paulus in 2 Timoth. 3. *hoc scito*, inquit, *quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: Et erunt homines semetipsos amantes, avari, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, irreconciliabiles, criminatores, incontinentes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, timidi, & voluptatum amatores magis, quam Dei.* Ecce tibi stellam vaticidam. In tanta impiorum colluvie quid boni sperare possumus, nisi ultimam abolitionem? Si citra ultimum finem malorum tanta bona eventura sunt, aut non sumus in ultimis temporibus, aut redarguitur Spiritus Sanctus: quorum illud evidenter falsum: hoc etiam blasphemum.

Optamus quidem & sedulo precamur, ne quid adversi eveniat, politiæ & Ecclesiæ: sed fataliter prædicta iniquitate pergente publice non avertuntur. Itaque sustentemus nos consolatione & spe, quam Spiritus Sanctus suppe-

* *Matt. 25. 26.*

ſuppeditat, nimirum ferendam eſſe in fece mundi calamitatem, quam tamen Deus ita ſit mitigaturus, & diſpoſiturus, ne in malum nobis, ſed potius in bonum cedat, & ubicunque ſane quocunque vultu futura ſit, manſuram tamen Eccleſiam eſſe uſque ad ultimam flammam: quam ut aquilinis oculis videamus, & membra ejus vera ſimus, maneamuſque in vera fide & confeſſione conſtantes, faxit omnium fatorum ſummus moderator Jeſus Chriſtus Dominus & Salvator noſter cum Patre & Spiritu Sancto in æternum benedictus. *Amen.*



EXERCITATIO
DE
PROGNOSTICIS COMETARUM.

CAP. I.

Rectè ut ex astris, sic etiam ex Cometis deductas speciales Divinationes à Libavio explodi.



Ommuni rectè sentientium consensu constat duos in religione scopulos evitandos, Epicureismum & superstitionem. Quia autem vera rerum vocabula amitti, & pro vitio sæpe virtutem crimina ferre, omnium sæculorum experientiâ comprobatum est: piis mentibus accuratè inquirendum, quænam cogitata, dicta, facta ad alterutram extremorum istorum categoriam reducenda sint.

Quod uti in quibuscunque casibus & eventis, sic imprimis in divinationum generibus, agendum: ut ab omni astrorum ac phasmatum in cœlis, & portentorum in terris vacuâ secundum Ægyptiorum, Chaldæorum, Hetruscorum disciplinam observatione & interpretatione, quam longissimè recedant, quotquot glorioso Christianorum nomine insigniri volunt. Et certè, non obstante tristissima Christiani orbis per tot ac tanta religionis διαφέροντα & controversa divulsione, hoc tamen admirabili Dei nostri providentiæ debemus, quod astrologicæ & genethliacæ divinationes communibus sapientum suffragiis ex Christianorum ecclesiis ac scholis jam dudum ita profligatæ sint; ut contra si quis sentiat, nil sentire judicetur. Infinita fere huic rei comprobandæ testimonia, ex philosophis, Jureconsultis, theologis cujuscunque sub nomine Christiano professionis ut accumulentur, haut operæ pretium ducimus. Suffecerit, si aliqui indicentur, qui ex professo contra vanitates illas dissеruerunt: quales *Joh. Picus Mirandulæ comes libris* 12. ejusque ex fratre nepos *Joh. Franciscus Picus libris* 7. *Hieronymus Savonorola libris* 3. quem *Thomas Erastus tract. peculiari* contra *Stathmionem medicum Coburgensem* defendit. *Beza epist.* 29. *Hieron. Zanchius de divinatione. Gul. Perkinsus in tract. de Prognosticationibus*, & in *Bascanologiâ cap.* 3. *Molineus lib.* 3. *Vatis cap.* 7. *Pererius lib.* 2. *comment. in Genesim cap.* 2. 3. 4. 5. ubi octo

ra-

rationibus divinationem illam oppugnat. Idem in peculiari *tract. de Magiâ*, &c. *Divinatione Astrologicâ. Georgius Ragusæus philosophus Patavinus*, de divinatione. *Andr. Rivetus in comment. ad decalogum. Tobias Wagnerus* theologus Tubingensis peculiari tractatu. *Casmannus part. 2. astrologiæ cap. 9.* Si qui paradoxi nostro hoc & uno atque altero anteriori sęculo contra torrentem Doctorum caput efferre ausi fuerint: ii omnium condemnatoriis calculis obruti fuerunt. Qualis celebris *Cardinalis de Aliaco*, Episcopus Cameracensis; *Paulus tertius*, ab Astrologo suo *Luca Gaurico* in omnibus consiliis & actionibus suis suspensus; & ante annos aliquot sacerdos quis in Galliâ *J. Gaffarellus*, qui præter abdita divinæ calabæ mysteria, a. 1631. librum de curiositatibus inauditis patrio sermone ediderat, sed à *Sorbonâ* condemnatum: ubi *cap. 12.* & 13. adductis rationibus & autoritatibus contendit, ex figuris Cometarum & stellarum tanquam mysticis characteribus & hieroglyphis posse legi notabilia quæque in hoc mundo eventa, & bona ac mala, quæ hominibus obtingunt. Ne quid dicam de publico in scholâ Parisiensi mathesios professore, cujus opera astronomica ante triennium, ni fallor, in fol. edita: ubi ex professo astrologiam judiciariam defendit, & ex propriâ praxi suâ eventus prædictionibus suis respondisse ostendit. An & quid *Sorbonna* aut quævis alia publica potestas de libro illo statuerit, hactenus ignoro. Nec est diffitendum inter protestantes & reformatos *Rud. Goclenium* medicum celeberrimi Philosophi *R. Goclenii* filium, & ante eum *Stathmionem* medicum Coburgensem insanienti illi astrologiæ publicis scriptis patrocinium præstitisse. Quorum posterior ab alio quodam celebri philosopho & medico *Thoma Erasto* anno 1564. peculiari scripto eruditè refutatus est. Non defuerunt etiam omni tempore inter dictos astrologos & vulgares prognosticorum scriptores, qui una cum astrorum observationibus, pręsertim & Cometarum, tanquam insolitorum in cœlo aut in aëre phasmatum, artem divinandi de futuris quibusque magnarum rerum eventibus sibi demandatam putârunt. Ne scil. deessent hodierno Christianismo sui portentorum interpretes; quales olim inter Gentiles exstitisse, testes sunt *Pausanias in Eliacorum* 1. & *Halicarnaß. lib. 2.* Sed istorum vanitates iisdem ferè argumentis, quibus divinationes ex astris, explodi posse jampridem aliqui ostenderunt: inter quos celebris philosophus *Libavius*; cujus declamationem, occasione Cometæ nuper hic conspecti, recudendam dedimus: minime dubitantes, quin moderatis & piis ingeniis ea placitura sit. Sic enim vanitates divinationum astrologicarum & cometicarum insectatur; ut interim ad præsagia & comminationes judiciorum Dei, in genere & indefinitè, mentem animumque advertere non vetet; nedum ut tanquam aniles nugas ac superstitiones omnem sobriam ac sanam tum antiquorum tum recentiorum sapientum at-

attentionem deridendam propinet. „ *Ad prognosticum*, inquit, *theologicum*
„ *accedo. Quid itaque sacri canones nobis de insolitis in cœlo seu stellis, seu*
„ *ignibus suppeditant judicii? Primum monemur quidem in cœlo futura esse*
„ *signa prodigia minime vilipendenda, sed nec metuenda his qui redemptionem*
„ *à pessimis mundi moribus expectant quam desideratissime.* In quo cum ipso convenire video omnes illos sapientes; qui distinguere nôrunt inter singularia eventorum singularium præsumta præsagia; & inter generalem atque indefinitam malorum per insolita ejusmodi phasmata significationem aut commonefactionem, aut comminationem. Quales inter philosophos, *Gregor. Tholosanus syntax. artis mirabilis lib. 35. c. 24.* & *Politicæ lib. 21. cap. 6. Sennertus, lib. 2. phys. cap. 2. Sperlingerus lib. 3. phys. cap. 12. Senguerdius lib. 4. cap. 2. Vossius lib. 3 de Idololatr. cap. 9. Salustius Bartasius die 2. hebdom. 1. coll.* cum *diei 2. lib. 4. hebdomad. 2.* ubi exsertè rejicit astrologiam Judiciariam: Verba apud paraphrastem latinum Sam. Benedictum, sic sonant:

Dumque suâ cœli narrat mihi lege figuras, &c.
Hæc à me in fidei sacræ sancita referri
Christicolæ vestram fugiat sententia mentem,
Aut me porticibus conferre pedamina velle
Zenonis, nexâque Deum vincire catenâ;
Per seriem & Stoici connectere dogmata fati:
Sive voluminibus cœli ventura legentem,
Chaldææ dubia amplecti mysteria sectæ.
O procul, ista procul ------

Cornelius Gemma medicus & mathematicus Lovaniensis, *in libro de divinis naturæ characterismis* nimium subinde divinationibus illis tribuere videtur; aliquoties tamen se revocans (ut *lib. 1. cap. 8.*) propius mentem de singularium eventorum prædictionibus declarat: quod scil. debent esse conditionatę: *minitari scil. hæc vel illa ventura insuper, nisi celerius occurratur.* Ex theologis secundum distinctionem hanc indicium Cometarum probant aut improbant, *Perkinsus* in tract. de prognosticationibus; *Zanchius lib. 3. de oper. creat. cap. 2. Petrus Molineus lib. 3. Vatis cap. 7.*

CAP. II.

An & qui sint, qui omnem omnino Cometarum significationem improbasse videntur.

Uod quibusque plurium consensu receptis sententiis, id etiam observationi Cometarum evenisse videmus; ut aliqui singulariter oculis signari, & digito monstrari cupientes contra communem popu-

populorum & ſapientum vel generaliſſimas quaſque & indefinitas divinationes, aut probabiles ſaltem conjecturas ac ſuſpiciones, quaſi contra torrentem obniti ſibi glorioſum duxerint. Veritas antea non cognita aut agnita, non deſinit eſſe talis; quamvis errori alicubi prius poſſidenti antiquitatis palmam præripere nequeat. Viciſſim veritas ἐπιπενθοῦσα τοῦ χρόνου (ut loquar cum *Clemente Alexandrino*), & à plurimis in præſenti & ante ſæcula eſt recepta, à Titio aut Mevio, qui eam primus ex profundo puteo hic aut alibi non eruit, faſtidioſè contemni non debet. Ut conſuetudo ſine veritate nihil aliud quam antiquitas erroris eſt: ſic antiquitas ſine errore, nihil aliud quam antiquitas veritatis eſt. Poteſt quis poſſidere veritatem, quamvis primo aut ſolo ſuo ingenio non inventam; ſed per aliorum indicia, obſtetricationes, manuductiones, traditiones perceptam. Neque enim ad genuinæ veritatis perceptionem in omnibus ejus amatoribus ac diſcipulis, præſertim mediocris tantum aut pauperis ingenii, requiritur, ut ſint ἀνέρες ἀλφησταὶ *inventores*, quorum nomina novæ *Polydori Virgilii* de rerum inventoribus editioni inſerenda eſſent. Sunt etiam nonnulli melioris commatis, qui quamvis præſagia Cometarum non bene diſtinguant, nihilominus laudabili zelo in vanitates teratoſcopicas invehuntur; ſed qui per fallaciam accidentis, propter τὸ nimium & abuſum quorundam, ipſam rem omnemque ejus uſum repudiant. In quos forte quadraret illud Poëtæ:

Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

Nec vanè præſumitur, intercurrere inter illos, qui cum ſe & alios in Epicureæ ſecuritatis ſomnum inducere ſtudeant, ad ſublunaria, & vel maximè inſolita phaſmata ac terriculamenta, illud magorum Pharaonis exclamare non dignantur: *Ecce hic digitus Dei.* Tales deſcribuntur à divino Pſalte *Pſal.* 94 & ab Apoſtolo 2 *Petr.* 3. *v.* 3. *Epicurei:* uti *Fr. Junius in notis ad* 2. *Petri* 3. *obſervat.*

Qui teſte *Auguſtino* de *Geneſ.* ad literam *lib.* 5. *cap.* 21. „putant, hanc „imam partem terrenam & humidam aëriſque hujus vicinioris, qui terra„rum & aquarum exhalationibus humeſcit, in quo venti nubeſque conſur„gunt, caſibus potius & fortuitis motibus agitari. *Et paulo poſt:* Nihil „enim tam videtur caſibus volvi, quam omnes iſtæ procelloſæ ac turbu„lentæ qualitates, quibus cœli hujus inferioris, quod non immerito terræ „nomine deputatum eſt, facies variatur & vertitur. Lucretius lib. 1. de rerum naturâ, timorem omnem per philoſophiam Epicuream eximi gloriatur: non obſtante quod primus in orbe Deos feciſſe & cultum numinis excitaſſe dicatur:

Humana, inquit, *ante oculos fœdè cum vita jaceret*
In terris oppreſſa gravi ſub relligione:
Quæ caput è cœli regionibus oſtendebat,

Hor-

Horribili super aspectu mortalibus instans:
Primum Graius homo (Epicurus) *mortales tendere contra*
Est oculos ausus, primusque obsistere contra:
Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit cœlum, &c.
Quare relligio pedibus subjecta vicissim
Obteritur: nos exæquat victoria cœlo.

Et paulo post:

Tutemet à nobis jam quovis tempore, vatum
Terriloquis victus dictis, desciscere quæres.
Quippe etenim quam multa tibi jam fingere possum
Somnia, quæ vitæ rationes vertere possint,
Fortunasque tuas omnes turbare timore?
Et merito. nam si certam finem esse viderent,
Ærumnarum homines: aliquâ ratione valerent,
Relligionibus atque minis obsistere vatum,
Nunc ratio nulla 'st restandi, nulla facultas:
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim, quæ sit natura animai:
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur:
Et simul intereat nobiscum morte diremta:
An tenebras Orci visat, vastasque lacunas

Proximè ante hos versus divinam providentiam circa sublunaria, præcipuè circa res humanas, negaturus, quam tamen Veneri paulo ante tribuerat, sic fatur:

Omnis enim per se Divum natura necesse 'st
Immortali ævo summâ cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, sejunctaque longè.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, non indiga nostri.
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur irâ.

Cum hâc philosophiâ compara insanientem sapientiam, antiquorum Saduceorum, hodiernorum atheorum & Epicureorum, quos *spiritus fortes & Deistas* appellant à nobis in 1.*part. select. dispp. tit. de atheismo* descriptos. Cum utrâque compara theologiam Serveto-Socinianam, quæ prȩter blasphemias in Deum unum & trinum, in Christum θεάνθρωπον, divinam futurorum contingentium præscientiam, animarum impiarum immortalitatem, hujus carnis resurrectionem, atque adeo æternas impiorum pœnas negat: ut alibi ostendimus. An autem tales inter adversæ sententiȩ promachos

machos referti sunt; mox videbimus. Referuntur à *Simone Goulartio in commentar. ad Bartasii hebdomad.* 1. *diem* 2. & ab *Isendormi part. generali physiologiæ tract.4.pag.215.Marcellus Squarcialupus, Andr.Dudithius, Grynæus.* Addo ego *Jul. Cæs. Scaligerum exercit.* 71. *sect.*2. *Gaßendum in epistol. astron.* & in *Epicuro*; *Christophorum de Gamon in poëmate Gallico tit. hebdomas creationis mundi, die* 2. *pag.* 45. *& seqq.* Balthazar Hagelius Jesuita philosophiæ professor Ingolstadiensis in libello de meteoris, publicę disputationi ibidem anno 1588. subjecto §. 56. *Permulti concludunt, Cometas esse hujusmodi calamitatum signa: sed malè. Quis enim fulgure, tonitru, aut fulmine, quæ post illa sæpe acciderunt, calamitates significatas fuisse arbitretur? Negamus igitur Cometam illos tetros eventus propriè significare; tum quia est naturæ quoddam opus, nec ex naturâ suâ, nec ex institutione alicujus vim significandi habet; tum quia unum ab altero necessariò non pendet.* Qui & quales sint isti autores, & quo sensu ac scopo hanc causam egerint, in antecessum, notari velim.

Hagelius solummodo, τὸ κατὰ πάντα absolutæ necessitatis negasse videtur, & singulares ac signatas singularium eventorum prędictiones: quorum neutrum nos asserimus. Id liquet ex præmisso poëmate de Cometa Guil. Reisacher libellum illum pro supremo in philosophiâ honore in Academiâ publicè defensuri; ubi post relata aliquot malorum Cometas secutorum exempla, sic concludit:

Horum index, non causa fuit; nec nescius index
Fallere: namque interitus regumque ducumque Cometen
Non semper, sed sæpe, Deo mandante sequuntur.
Sæpe ideo ut visus sit raro IMPUNE COMETES.

Julius Cæsar Scaliger absque distinctione aut limitatione loqui videtur: sed si dissertationem seu mavis declamationem ejus propius *consideres, tota nititur falsâ* hypothesi; quasi sapientes (in quibus ineptos & stolidos Astrologos atque Almanachicos scriptores non numero) statuerent, nullos clarissimos viros fato functos, nullos principatus eversos sine prævio Cometæ indicio, aut nullam apparere Cometam, quam pernities mortalium non sequatur. Meram ergo schiomachiam exercet. Quod si argumenta contra singulares, ex Cometarum quantitate, figurâ, colore, duratione, situ, motu divinationes instruxisset: utique libenter sub signis ejus militaremus. Et mirum est eum contra Cardanum insignem philosophum & mathematicum, sed teratospocicæ divinationi & genethliacæ astrologiæ nimis deditum, aciem non instruxisse. Hac parte non cascis logis & dicteriis, sed rationibus adversarium suum non leviter ferire potuisset. Vanas illas divinationes alibi tractârat *Cardanus lib.* 1. *de varietate rerum cap.* 1. *& lib.* 14.

cap.48. & seqq. non vero non *lib.4. de subtilitate* (haut ita longè à principio), in quem textum *Scaliger* incurrit. Ubi Cardani dicta tanquam probabilia (aliter enim non proponit) excusari possunt. *Quæ omnia*, inquit, *ab immodicâ tenuitate ac siccitate aëris fiunt; ut Cometes horum quidem possit* (nota) *esse signum, non causa.* Nec prætereundum, Scaligerum, virum aliqui magnum, ut contradicat Cardano, aut eum exerceat, aut per celebrem hunc adversarium à se toties arietatum & in tam multis reprehensum inclarescat; non raro criticis & grammaticis tricis, aut frustra quæsitis inutilibus subtilitatibus, aut multæ lectionis & experientiæ ostentationibus, aut logomachiis, aut cavillis, exercitationes suas multiplicasse. Lector, qui modo *Apologiam Cardani* lustrare dignabitur, ad oculum deprehendet, quod dico.

Gryneus uter ex duobus eruditione & librorum editione celebribus designetur, & quo tractatu, quâve ratione hanc causam egerit, plane ignoro. Floruit in Academiâ Basileensi *Johannes Jacobus Grynæus* theologiæ professor; floruit ibidem hujus patruus *Simon Grynæus* philosophiæ & philologiæ professor: sed in catalogus librorum ab ipsis editorum apud *Melchiorem Adamum in vitis theologor. & philosophor.* Germaniæ, & *Gesnerum in Bibliothecâ* nulla hujus scripti fit mentio. Viri illi in omnibus disciplinis, imprimis etiam in historiis tam probè versati fuerunt, eoque religionis & pietatis studio præcelluerunt, ut verisimile mihi non fiat, eos aliud quid, quam specialium sive ex astris sive ex Cometis, divinationum vanitates & superstitiones oppugnasse: quas nos quam maximè improbamus.

Christophorus de Gamon, in poëmate Gallico, cui tit. *Hebdomas creationis mundi, opposita hebdomadi Bartasii*, die secundo pag.51. pluribus hanc causam agit quidem: sed ipso titulo innuit, in hoc aliisque quamplurimis voluisse contradicere Bartasio. Rationem ipse & poëtæ operis istius encomiastę assignant, ut sacram hanc poësin repurgaret ab Ethnicorum poëtarum figmentis & phrasibus, quibus deformata erat. In quo illum utilem operam præstitisse non nego; sed an medicina modum excesserit, aliis judicandum relinquo. Saltem in hac quæstione de significationibus & comminationibus Cometarum, pag.51. lemmate marginali non rectè Bartasii mentem proponit: *Quod stultitiæ sit putare, omnia illa mala provenisse à Cometa.* Hæc Bartasii verba diei 2. v.611.

Mais quand l'exhalaison
Des engourdis hyvers surmonte la maison,
De mesme elle s'enflamme & faite un nouvel astre,
Denonce tristement quelque prochain desastre.

Quorum versuum sensum eximiâ suâ paraphrasi anno 1600. Edimburgi excusâ

cusâ ita exhibet Hadrianus Damman à Bystervelt fœderati Belgii ad Sereniss. Jacobum VI. tunc Scotiæ Regem legatus:

Sin gelidas hiemes, & non liquentia mundi
Frigora trajiciat rutili vis crassa veruti,
Heic demum ardentis crispantia sideris ora
Induit, & dirum perhibet mortalibus omen.

Hoc totum est, quod de comminationibus Cometarum dixit *Bartasius*: in quo illum sententiam plerorumque philosophorum & theologorum secutum esse, rectè notatum à commentatore ejus *Simone Goulartio* vastæ lectionis theologo & historico. Adeo ut argumentis *Christoph. de Gamon* minime eum tangi judicandum sit.

Thomas Erastus, an aliis argumentis causam egerit, quam quibus Schatmionis defensionem astrologiæ judiciariæ, contra tres libros Savonorolę ex Italico in latinum idioma à se translatos, confecit; dicere nequeo: quod dissertationem ipsius de Cometis, sive seorsim sive alio cum ipsius opere aut opusculo editam non viderim. Interim vix credere ausim virum illum aliud quid, quam sordes superstitionum & vanitatum expurgare voluisse: prout scriptis suis veræ sapientię, religionis, & pietatis studium eum declarasse, & ut talem à magnis ac pręstantibus viris habitum fuisse, novimus. In Arrianismi suspicionem aliquando eum tractum fuisse ferunt: contra quod tamen ipse vehementissimè protestatur in *epistolâ ad amicum, quæ est* 70. inter epistolas philologicas à *Goldasto* editas. Ante annos complures vidi à medico Anglo-Londinensi *Johanne Dee* (si bene memini) in monade hieroglyphicâ pro philosophiâ ac medecinâ Hermetico-Paracelsicâ contra eundem eruditissimum Paracelsi antagonistam retorqueri, quod is heterodoxiâ & contentione suâ de Excommunicatione religionem & ecclesiam turbasset. Sed de causâ hâc à se actâ *Erastus in epistolâ* modo cit. summopere gloriatur ac triumphat. Constat etiam ex libro ejus posthumo de hâc quæstione a. 1589. Plescavii (cujus loci nomen per fictionem adscriptum fuit) edito, quanto animo, non sine approbatione aliquot popularium ipsius, theologorum Helveticorum, in arenam hanc descenderit. Quamvis autem hâc in parte eum errasse non dubito, & Beza rescriptione suâ hoc satis superque evicerit, fatendum tamen virum eruditum & cætera orthodæ religioni addictum fuisse.

Petrus Gassendus celebris philosophus *in epistolis astronomicis*, & in suo *Epicuro* pro eadem sententiâ disputare videtur. De argumentis ejus pronuntiare liceat, ea in superstitiosas & vacuas divinationes ferri, & jam ab aliis ante ipsum intorta fuisse. De intentione ejus haut ita facile judicaverim. Quia tamen Epicuri philosophiam, sive serio sive exercitii causâ attollere

conatus est; conjiceret forte quis, an non propius ad Epicuream hypothesin de sublunaribus & nominatim Cometis extra specialis providentię divinæ ambitum casu suo nascentibus denascentibus, euntibus redeuntibus, accedere voluerit. Quidquid sit de intentione autoris, de quâ ἐπέχω; infra ad ipsius, quæ & aliorum, argumenta breviter respondebo.

Marcellus Squarcialupus medicus, qui inter peregrinantes Italos & voluntarios ob religionem exules numeratur, quid scripserit ignoro; nec hactenus citatum hoc ejus scriptum de Cometis, videre potui. Si cum autoribus citatis absque ullâ distinctione omnem observationem, comminationem, denuntiationem Cometarum oppugnat, & omnem timorem excutere studet, jam de Epicureismi, & Saduceismi aliquo afflatu cogitandum esset: quod de omnibus aliis eandem sententiam amplexis, non tam facile cogitari debet. Sic notus *Squarcialupus*, ex epistolâ ad Socinum, quæ inter epistolas sub nomine Socini editas omnium prima est. Accedit quod fratres & socii isti Itali religionis Christianæ fastidio, & interpolato Epicureismo turgidi, ex durâ imminentis & circumstantis istic inquisitionis & hierarchię necessitate, in libero Protestantium reformatorum aëre respirationem captârunt: prętensâ veræ religionis professione & petitâ in ecclesias nostras admissione: ne forte ex regione alicubi excluderentur. Et tales erant *Lælius Socinus*, *Faustus Socinus*, *Valentinus Gentilis*, *Math. Gribaldus*, *Alciatus Mediolanensis*, *Bernardinus Occhinus* (ex scriptoribus contra Socinianos satis noti): *Ludovicus Fierus Bononiensis*, *Henricus Tridentinus*, *Jacobus Venetus*, *Franciscus Vacca Bagnacavellensis* (apud *Scipionem Lentulum in præfat. ad Respons. orthodoxam pro edicto DD. Rhætiæ*): *Joh. Baptista Bovius Bononiensis*, *Philippus Buccellus*, *Franciscus Bettus Romanus*, *Franciscus Puccius* (apud *Socinum in epistolis*); *Georgius Blandrata medicus* (apud *Socin. in epist.* & in histor. ecclesiar. Slavonicarum pag. 84. 85. 146.): *Franciscus Lismaninus* (Ibid. p. 84.) His addere liceat duos Hispanos, *Servetum* ex historiâ ecclesiasticâ & scriptis elencticis satis notum; & *Petrum Romanum*; uti se nominabat (apud *Scipionem Lentulum* loc. cit.) Atque hi quidem religionis causâ Italiam & Hispaniam putabantur deseruisse: cum blasphemiæ, θεομαχίας, & interpolati Epicureismi mystas fuisse, sequentia ipsorum facta probaverint. *Ex nobis egressi sunt; sed non erant ex nobis* 1 Joh. 2. v. 19. Vide ipsorum gesta *lib. 1. histor. ecclesiar. Slavonicar. cap. 13. & lib. 8. Bibliothecæ Possevini cap. 12. & seqq.* & in *Joh. Læti compend. histor. period. German. cap. 32. 34. 35. 37.* in *Bezæ epistolis epist. 1. 16. 19. 81* Imprimis in *Joh. Hoornbeeck apparatu ad tom. 1. Anti Socinianum. In histor. ecclesiar. Slavonicarum*; & in scriptis quibusdam elencticis. Memoratur etiam *Franciscus Stancarus Mantuanus*, aliquamdiu theologiæ in Acad. Regio Montanâ professor; & in scriptis elencticis Remon-

monſtranticis *Jac. Acontius Tridentinus*, cujus *liber de ſtratagematis Satanæ* Remonſtrantibus tantopere celebratur. Qui utrique eminus, & non paſſibus ęquis, novi Arrianiſmi promachos ſecuti videntur. De illo videnda *hiſtor. eccleſ. Slavonicar.*: De iſto aliquid monui in *diſp. de Trinitate. De Antonio Corrano Hiſpano legenda eſt Bezæ epiſtola,* eidem inſcripta.

Andreas Dudithius, generis nobilitate, ingenii elegantiâ, ſæculari eruditione, dignitate & autoritate Romano-eccleſiaſticâ (quippe Epiſcopus Quinqueccleſienſis, & nomine cleri Ungarici ad concilium Tridentinum miſſus,) dignitate politicâ, cum Imperatori eſſet à conſiliis, oppugnatione Papatus & acceſſu ad noſtram religionem, denique multorum eruditorum aliorumq; magnorum virorum amicitiâ celeberrimus; poſt *Marcellum Squarcialupum* (quem ipſe doctum & acutum philoſophum ac medicum pręd icat) & poſt *Scaligerum* contra omnes qualecunque præſagium Cometarum admittentes animosè inſcripſit, in *epiſtolâ ad Cratonem medicum Cæſareum.* Sed in totâ illâ diſſertatione non minus, quam alii paradoxi, mihi aërem ferire videtur, quod quęſtionis controverſiæ ſtatum prius non explicaverit. Negat Cometas cauſas efficientes malorum. Negat Cometas lumine ſuo, aut aliis affectionibus, ſingularia eventa certò prænuntiare. Quæ omnia cum argumentis & amplificationibus ſuis ad colores Rhetorum, aut potius ad fallacias ἀγνοίας ἐλέγχου & ἑτεροζητήσεως releganda ſunt. Negat per experientiam conſtare, Cometas eſſe nuntios malorum: *tota*, inquit, *ab adverſariâ parte ſtat; proque ea multo plura, & veriora, ne dicam omnia, teſtimonia dicit.* De quâ aſſertione paradoxâ contra hiſtoriarum & teſtium nubem, infra videbitur. Nunc ſolum præcognoſcendum, eruditiſſimum hunc virum in paradoxi hujus defenſione aliquo Scepticiſmi & Epicureiſmi afflatu, non minus quam peregrinantes & exulantes Italos modo recenſitos, actum fuiſſe. Poſt multas enim, variaſque fluctuationes, circuitiones, in atheiſmos pectore conditos erupit & apertè in θεομαχούντων caſtra conceſſit. Cum aliquæ ſuſpiciones ſolummodo ad *Thomæ Eraſti* aures perlatæ eſſent, omne conſilium de familiaritate aliquâ per literas cum *Dudithio* inchoandâ ilico, & quidem prudenter depoſuit. Audi ipſum in epiſtolâ ad N. quæ in centuriâ Goldaſti eſt 70.

„ Intelligo etiam ex tuis, hoſpitium tibi dediſſe generoſum & illuſtrem, „ virum D. Andream Dudithium, cujus ego virtutem & doctrinam ante „ multos annos mirificè audivi prædicari. Invitatus ſæpius fui à Polonis, & „ imprimis à domino N. Laſizio, ut ad eum literas darem: nec ego alienus „ ab eâ re fui. Metui tamen, cum occaſio nulla ſcribendi, &c. Itaque me „ continui, nec multò poſt audivi eum in ſuſpicionem aliquam veniſſe, qua- „ ſi Arii dogmati faveret. *Paulo poſt:* appellat *ſcelus tam nefariam,* quod

Dudithio intentatabatur. Et protestatur, *à nullo errore & peccato in omni vitâ se alieniorem fuisse.* Postea concludit: *Attamen cum de re ipsâ nil mihi constiterit, & ne nunc quidem constet aliquid, optima sperare volui (& jam etiam spero), nihil tamen faciendum mihi censui, ne adversariis meis iniquissimis occasionem præberem suam improbitatem excusandi.*

Quid dixisset *Erastus*, si eum non tantum alicujus erga Arii dogma inclinationis suspectum audivisset, sed & palam in θεομαχούντων castra vidisset transiisse; & *Lucianum*, *Celsum*, *Julianum* Imperatorem, *Porphyrium*, aliosque fidei Christianæ hostes, omnes tamen viros literatissimos, pone secutum fuisse; blasphemiis insuper in servatorem nostrum eructandis plurimos impietatis illius socios Socinianos superasse. *Arrianismum* (teste *Beza epist.* 16.) *nemo unquam in ecclesiâ aliud esse sensit, quam atheismum.* At quanto magis de abominando Socinismo hoc dicendum esset. Cujus dogmata, non obstante moderatione & tolerantiâ Remonstrantibus Belgicis quasi quarto modo propriâ, (uti præ se ferunt); à *Grotio* multâ eruditione longè celebriori, *Dudithio*, *Sarmatica portenta appellari audias: in Pietate Ordinum.*

Ego novum Saduceismum & Epicureismum ex Italia per viros supra indicatos superiori sæculo allatum, sed Christianæ theologiæ terminis & pannis quibusdam tectum, appellare malim. De *Dudithii* dubitationibus antequam Socinismum apertè profiteretur videri poterit *Cl. Joh. Hoornbeeck in apparatu ad Socinianismum confutatum pag.* 61. Et *Beza epist.* 1. Idem in adjectis ad epistolam dedicatoriam poëmatum editioni anno 1569. præfixam: anno 1576. sic loquitur. „Et hæc quidem olim ego de te, apud te, vir amplissime. A quo tempore plurima, ut tu nosti, inciderunt, quæ multis „nostrarum partium amicis tuis displicuisse non ignoras. Imprimis autem „tua illa tam diuturna de veræ ecclesiæ notis dubitatio non paucos offendit. Efficere tamen ista non potuerunt, quo minus cum hæc nostra recu„derentur, &c.

De horrendis ipsius in Deum blasphemiis, & plus quam Arrianis atheismis, fidem facit *Epistola ejusdem ad Lasizitium* equitem Polonum a. 1590. typis edita, cujus exemplar olim habui: quam æternis tenebris sepultam, quam recusam mallem. *Geverhartus Elmenhorstius* in utrâque literatura, & antiquitatibus tum profanis tum ecclesiasticis versatissimus, inter cæteros *Trinitatis hostes conjuratos* hunc unum *Dudithium* sibi delegit, ex quo specimina impietatum & blasphemiarum exhiberet: hoc addito elogio: *Quod ab orbe condito ex Orci faucibus nullum* (illo scripto *Dudithii* ad *Lasizitium*) *prodierit pestilentius: In epist. dedicatoriâ ad Georgium Hampelium* superintendentem Lubecensem edit. gr. Latinæ opusculorum Procli Archiepiscopi

Con-

Constantinopolitani anno 1617. præmissâ. Et hoc quidem eruditiss. hujus viri judicium: ad quod noto *Servetum* & *Valentinum Gentilem* non minores blasphemias in Deum nostrum evomuisse, ac *Dudithium*: siquidem *Calvini* excerptis in libro contra *Servetum*, & *Aretii* excerptis in historiâ *Valentini Gentilis cap.* 8. fides habenda sit. Hæc de *Dudithio* hic monenda duxi, ne improvidi & rerum novarum avidi splendore & famâ viri, quâ ante deplorandam apostasiam apud literatos passim & theologos reformatos pollebat, perculsi, ab operum Dei admiratione & piâ contemplatione abducerentur.

CAP. III.

Præmissis præcognitis, & rectè constituto controversiæ statu; ostenditur, hactenus omnium populorum & sapientum consensu, absque stultitiâ & superstitione, præsagium aliquod in apparitione Cometarum quæsitum fuisse.

MIttimus ergo antiquorum Epicureorum, cujuscunque divinationis & quorumcunque ostentorum, contemtum ac derisionem: *qui hac unâ causa* (juxta Valesium sacræ philosoph. cap. 30.) *laudandi videbantur, quod scirent, quid placitis suis esset consequens. Nam illi nullam vim naturalem divinandi esse censentes, cum & nullos Deos, qui rebus humanis prospicerent, esse putarent, sed, ut rectè Cicero intelligit* (in lib. de divinatione) *per derisum dicerent, eos esse imagines quasdam per aërem vagantes, non poterant ullam divinationem recipere.* Mittimus etiam hodiernos atheos, dictos *spiritus fortes* seu *Deistas*, genuinos Neo-Epicureos ac Saduceos, cum proximis cognatis Socinianis; quos imitatione phrasios *Tertulliani de Resurrect. c.* 2. Epicureæ sententiæ *partiarios* dicere possemus. Adversus unum atque alterum supra cit. *Scaligerum* scil., *Christoph. de Gamon*, &c., minime tamen Epicureos aut Socinianos, disquisitionem ordimur, de Prognosticis Cometarum.

Ubi primum præsupposita aut postulata nobis sunto, I. de Cometarum naturâ & affectionibus nondum satis intellectis, cum Vossio *lib.* 3. *de Idololat. cap.* 9. aliisque II. de distinctione Cometarum cœlestium ab elementaribus: siquidem tales sint, ex compactis exhalationibus conflati, & in supremâ aëris regione ad tempus subsistentes, per incendium paulatim consumti. III. de incertis & pugnantibus inter se astrologorum, de loco & situ Cometarum observationibus: quibus propterea pro physicis litem movit celebris philosophus *Keckermannus in disp. physicis.* IV. de variis publicarum & magnarum calamitatum generibus: sterilitate scil., fame, peste, aliisque morbis epidemicis, terræ motibus, tempestatibus, incendiis; aquarum, fe-

tarum, insectorum, inundationibus, bellis, cladibus, vastationibus, seditionibus, Rerumpublicarum eversionibus, aut saltem concussionibus, regum & principum mutationibus; Ecclesiarum per hæreses, scismata, persecutiones eversionibus aut dissipationibus; dæmonum terriculamentis, spectris, energematis, maleficiis. Duo ergo solummodo nobis inquirenda, an scil. aliquibus Cometarum observationibus & prognosticis, & ex illis orto timori apud pios & vere fideles locus esse debeat: an vero omnia fortiter explosa, & explodenda sint. Jesuita *Serrarius in commentar. ad 2. Machab. cap. 5. pag.* 391. accusat Calvinistas, quod prodigia seu visa in aëre, inter quæ Cometas numerat, vellicent. *Cum tamen*, inquit, *plurima ejusmodi contigerint:* & citat Plinium, Senecam, Obsequentem, Niphum, Gemmam, Lycosthenem. Sed quo documento accusationem suam fulcit? Nullum istic invenio, nisi quod lectorem ablegat ad commentar. suum in cap. 3. pag. 380. ubi ait, *præfationem Calvinistarum Gallicam in hunc lib. 2. historiam istam* (de viso equi in Heliodorum insilientis, & *duorum juvenum eundem flagellantium) quasi dubiam & incertam vellicare.* Quid hoc ad πρᾶγμα Cometarum aut armatorum in aëre apparentium & similium. Si quis scriptorem *lib. 2.* Machabæorum suspectę fidei historicum, *cap. 3.* quid referentem sine scrupulo non reciperet; is ilico dicendus non est, eidem fidem negare in relatione alterius prodigii *cap. 5.* Cum Pontificii passim, & nominatim *Baronius*, in annalibus, tam multa ab historicis relata aut absolutè rejicit ut falsa, aut vellicat ut dubia & incerta: quis dicet eum omnia alia pariter rejicere aut vellicare? Quod ad præfationem Gallicam, eam in editione bibliorum, quę mihi nunc ad manum est, huic libro præfixam non invenio. Nec in generali præfatiunculâ ad libros apocryphos, tale quid comparet. Quidquid sit, scriptores nostri elenctici contra canonicam apocryphorum autoritatem disputantes, quos nunc inspicio (*Wittakerus*, *Rivetus* in Isagogâ, *Mestresatus in tract.* de scripturâ contra *Regourdum lib. 2. cap.* 10. Interpretes Belgici in præfat.) quamvis aliqua aliqua absurdorum aut falsorum, in libro illo specimina notant, hoc tamen, quod asserit Jesuita, non attingunt. Quod Calvinistæ (quos ita vocat) Cometarum aliorumque visorum & ostentorum observationem cum Epicureis non contemnant; sed pium & sapiens dictum Imperatoris Caroli M. à *Serrario* ibidem laudatum, non minus, quam ipse & socii, libenter amplectantur, mox cap. proximè adductis testimoniis evincemus. His ergo remotis, sit gemina hæc assertio nostra.

I. Cometas absque vanitate, stultitiâ, superstitione posse à piis mentibus considerari tanquam insolita quædam Dei opera & visa in naturâ, graves quasdam calamitates hominibus prænutiantia aut comminantia.

II. Ex

II. Ex apparitione & visu eorum, posse & debere nos piè ad timorem Dei & judiciorum ipsius excitari.

Priorem assertionem istis aphorismis explico

1. Cometæ sunt miracula naturæ, insolita Dei autoris naturæ opera, visus cœlestes (uti Cicero 2. de naturâ Deorum appellat) : & consequenter peculiari cum admiratione, attentione, & observatione à nobis contemplandi.

2. Præunciant aut minantur plerumque aliqua epidemica, aut endemia mala, ex illis quæ supra enumeravimus, serius aut citius eventura alicubi locorum, ubi apparuerunt.

3. Hęc ergo indefinitè & in genere præsagire licet : modo abstineatur *primo* à certis speciebus aut certâ specie calamitatum : *secundo* à certis personis, locis, ordinibus hominum, regionibus, civitatibus, familiis, ecclesiis; quibus illæ essent eventuræ : *tertio* à certis & definitis temporibus sive ortus, sive durationis, sive mutationis, sive finis, istarum calamitatum, designandis.

4. Licitum est talium phasmatum ortum & disparitionem, locum, situm, aspectum aut respectum ad sydus aliquod cœleste aut ad planetam, quantitatem, colorem (sive verum sive apparentem), lucem (sive propriam sive mutuatitiam), motum, stationem, durationem, formam & figuram tum totius tum partium, (ut caudæ, barbæ, &c.) investigare & observare.

5. Sed nemini, ne quidem astronomorum filiis, quorum hic ager, licitum est prognostica particularia & definita, de tali specie calamitatum eventurâ; aut de hoc illove singulari homine, hominum ordine, locis, politiis, familiis, ecclesiis affligendis; aut de definitis temporibus, ex aliquâ Cometæ apparentis affectione, sive verâ sive imaginariâ determinare. Talem pseudo-divinationem iisdem argumentis, quibus astrologicæ & aliæ Gentilium divinationum vanitates, jamdudum & toties ita profligatam esse, intelligendum est : ut otio suo abuti, & actum agere judicaretur, si quis hâc tempestate cramben recoctam, recoquere occiperet.

6. *Qui*, ex hypothesi definitionis Cometarum Aristotelicæ, solis causis & signis naturalibus insistentes, siccitates, sterilitates, epidemicos ex aëris infectione morbos; ventos & tempestates, & similia in sublunaribus probabiliter prædicunt : non magis culpandi sunt, quam illi qui cum Arato in διοσημείοις, Hesiodo in operibus & diebus, Virgilio in Georgicis, Misaldo in ephemeridibus aëriis, & cum veteranis nautis atque agricolis, futura ejusmodi ex perpetuâ experientiâ præsagiunt. Nos tamen hic ἐπέχομεν, & ista expertis libenter relinquimus.

7. Rejicimus Gentilium opiniones, de Cometis diis, aut animabus he-

herôum : uti de Cometa Julii Cæsaris, Romæ jactabatur; teste Suëtonio in Julio cap. ult.

8. Rejicimus Paracelsi paradoxa, quibus statuit, Cometas non habere naturalem originem, sed esse apparitionem à spiritibus & quidem supremis factam ad notabiles mutationes significandas, & quidem diuturnas, cum pluribus raris symptomatis. Sic ille *lib.* 6. de meteoris *cap.* 22. Ubi specialem aliorum portentorum interpretationem molitur. Cum tamen antea *lib.*2. *cap.*28. dixisset Cometas in supremis ex infimis fatis nasci ad prophetiam super mundo novi clamoris & eventus. Evolvat ista, qui potest. Interim negare nolumus, quin mali spiritus se Cometis, non minus quam aliis meteoris, fulmini, igni fatuo, draconi volanti, &c. possent miscere.

9. De assistentiâ & operatione bonorum angelorum in medio relinquamus: nec tamen polyistoris Vossii probabilem admodum conjecturam *lib.* 3. *de Idololatriâ cap.* 73. peremtorie improbare intendimus. *Rationem motus*, inquit, Cometarum communis cum sideribus, ab ortu in occasum; & proprii, quo feruntur in ortum item austrum, & quod frequentius in septentrionem, *quia ignoramus* (*nam valdè infirmæ sunt causæ, quas adferunt viri eruditi*); *confugiamus sane, dum certiora se offerant ad anchoram extremam, ut angelico eum ductu fieri credamus.* Fuere inter antiquos, qui stellam Magorum, quam Cometam aut Cometis similem dicunt, angelum fuisse opinati sunt. Cæsarius *dial.* 2. *Chrysostomus* & ex eo *Theophylactus* in *Math.*2. Sed de hoc alibi disquirendum.

Quærat nunc quis an & quomodo assertio proposita & explicata demonstrari possit: Respondeo 1. *Ex* experientiâ stultorum magistra 2. *Ex* generali affectione omnium miraculorum naturæ; quæ portenta seu ostenta appellantur: quod est argumentum à genere ad speciem. Quidquid enim inest generi, inest omni speciei sub illo genere contentæ. 3. *Ex* specialium quorundam miraculorum naturæ, seu portentorum, sive supra in aëre, sive infra in terrâ aut aquis, affectione. Quod argumentum est ab analogiâ. 4. *Ex* admirandorum quorumvis operum naturæ affectione. Quod est argumentum à minori ad majus & ab analogiâ.

I. *Argum.* Ab experientiâ certum est & evidens: quia experientia certam dat cognitionem τοῦ ὅτι *quod res sit*: quamvis cognitio τοῦ διότι nos lateat. Multa enim sunt arcana naturæ quorum causæ proximæ ac specificæ à nobis ignorantur; saltem certè & evidenter ita explicari nequeunt; ut quis sibi ipsi & aliis sapientibus satisfaciat. Quales antipathiæ & sympathiæ quamplurimæ, fluxus & refluxus maris, formatio hominis, & tempus animationis fœtus humani: de quo postremo vide *Ecclesiast.* 11. *v.* 4.

Psal.

Psal. 139. *v.* 14. 15. 16. *Jobi* 10. *v.* 9. 10. 11. Et *cap.* 26. *v.* 14. ubi admirandis quibusdam Dei operibus in naturâ propositis, subjicitur: *Ecce hæc partes sunt viarum ejus, & quam pusillum est, quod audivimus de eo.* Augustinus lib. 1. de civit. Dei capp. 4. 5. 6. 7. 8. varia recenset admiranda, quorum rationem reddere non possumus. Cap. 5. lemma est: *Quanta sint, quæ non rectè queant agnosci, & tamen eadem esse non sit ambiguum.* Sed ipsa capita legantur, cum commentar. *Lud. Vivis.* Cognitio ergo istorum primum inchoatur à sensibus; ex multis illis sensationibus oritur observatio; ex observationibus (quas philosophus 2. *posteri analytic.* vocat ἱστορίας) oritur experientia; ex experientiis formatur inductio; & hinc demonstratio τοῦ ὅτι; denique ex demonstratione definitio. Experientię scriptura testimonium perhibet, quamvis aliâ in materia. Quod afflictio tolerantiam efficiat: tolerantia vero experientiam, experientia autem spem *Rom.* 5. *v.* 3. 4. De hac eâdem commentantur philosophi ad *Aristotelis lib.* 2. *poster. analyt. cap. ult.* Et ad *Metaphys.* 1. *cap.* 1. Quia ergo experientiâ edocti sumus nullum ferè apparuisse Cometam, quem gravia Dei judicia insecuta non sint: hinc est quod prognosticum aliquod, aut comminationem in ejus apparitione consideramus. Quod autem Cometas talia secuta fuerint, ex historiis disci debet: aut si compendio quis uti velit, ex *Meilichio in commentar.* ad *Plinii lib.* 2. & *Corn. Gemmæ* divinis naturæ characterismis *lib.* 2. qui aliquot illustria specimina adducit; imprimis ex *Lavateri* catalogo Cometarum, aut *Garcei* meteorologiâ, aut *Lycosthene* de prodigiis, aut *Petro Twisk* qui nostro idiomate catalogum edidit, aut *Alstedii* chronologiâ. Quæ contra hanc πρόγνωσιν excipi solent, infra diluemus.

II. *Argum.* Desumitur ab affectione admirandorum portentorum & signorum; à genere ad speciem: quidquid enim prædicatur de genere, idem de quâlibet ejus specie prædicari necesse est. De admirandis autem & portentis infra aut supra scriptura, & communis experientia testatur, quod sint signa antecedentia futurorum malorum. Luc. XXI. v. 7. - 12. *Interrogaverant autem eum dicentes, Magister, quando hæc erunt: & quod erit* signum, *quando futura sint ista. Ipse vero dixit, videte ne seducamini*, &c. *& magni terræmotus erunt singulis locis, & fames ac pestilentiæ, & terriculamenta*, & signa è cœlo *magna erunt.* Prędicit hic signa & prodigia pręcessura eversionem Hierosolymæ & gentis Judaicæ. Impletio hujus prophetiæ, describitur à Flavio Josepho lib. 7. de bello Judaico cap. 12. *Miserabilis, inquit, populus*, &c. *certis vero prodigiis, & futuram solitudinem prænuntiantibus, neque attendebant animo, neque credebant: sed velut attoniti, nec aut oculos habentes, aut animas, edicta Dei dissimulavere: modo cum supra civitatem sidus stetit simile gladio, & supra annum perseveraravit Cometes*, &c. Vide reliqua,

prodigia ibid. memorata. Eadem ex Josepho à se laudato, de Cometa & reliquis prodigiis exhibet *Eusebius lib. 3. histor. eccles. cap.* 8. Esse autem verba Christi de prodigiis excidium Hierosolymæ & gentis Judaicæ sive solum, sive pariter finem mundi præcessuris, intelligenda, constat ex textu, & notârunt interpretes ad *Math.* 24. aut *Luc.* 21. aut *Marc.* 13. antiqui ac recentiores: inter quos *Chrysostomus*, & ex eo *Theophylactus*, *Hieronymus*, *Beda* (apud *Thomam in catenâ*), *Calvinus*, *Beza*, *Brentius*, *Bullingerus*, *Danæus*, *Cythræus*, *Tossanus*, *Strigelius*, *Grotius*, *Pelargus*, *Hosmeisterus*, *Haræus*, *Maldonatus*, *A Lapide*, *Mariana*. Videri etiam poterunt *Augustinus epist.* 80. *Ireneus lib.* 5. *cap.* 25. *Origenes in Math.* 24.

Possem etiam huc adducere *Actor.* 2. *v.* 19. (coll. cum *Joël.* 3.) ubi signa & portenta supra & infra, ex antiquis *Chrysostom.* & *Primasius*. ex recentioribus aliqui eodem fere modo accipiunt, uti *Luc.* 21. *Math.* 24. Sed cum textus ex *Lucâ* modo citatus, perspicuè hoc quod volumus, evincat, hâc vice mittimus. Historici tum Gentiles tum Christiani portentorum exempla, & secutas calamitates referunt. Præ aliis frequens in eo est *Dion Cassius*; qui sententiam hanc *lib.* 47. *pag.* 350. de prodigiis adscribit: ὥσπερ που καὶ ἀεὶ πρὸ τῶν ἀπο-πόλπτων φιλεῖ (δαιμόνιον scil.) προσημαίνειν, *quemadmodum res maximè omnium admirandas dii prædicere ferè solent.* Eandem hanc *Dionis* sententiam adducit Priceus in notis ad Luc. 21. v. 11. ad illa verba: *& signa è cœlo magna.* Ex Christianis inter veteres *Orosius* lib. 4. historiarum adversus Paganos cap. 4. & 13. lib. 5. cap. 18. refert *horrendis*, *diris*, *obscœnis* prodigiis Romanos territos fuisse. Cujus *diligentiam & pietatem* in prodigiis (præsertim circa nativitatem Christi) scripto consignandis à viris quibusdam doctis sugillatam, quasi nimię levitatis fuisset in talibus credendis, *Richardus Montacutius* serio defendendam sibi sumsit, in apparatu ad origines ecclesiasticas *appar.* 3. §. 43. & seqq. qui legi poterit. Sed *Orosius* inter historicos solus non est, qui talia notavit. Plures alios reperias historicos & chronologos tum veteres tum novos, qui ea non præterierint. Præter *Fl. Josephum* supra cit., *Diodorus Siculus lib.* 17. *bibliothecæ* §. 10. & 41. narrat, quæ prodigia *Thebanis* & Tyriis obvenerint: *Polybius lib.* 3. fere sub finem ostentis & prodigiis templa & domos Romæ refertas fuisse, ante pugnam Cannensem. *Herodotus lib.* 7. Xerxi oblata prodigia. Sed plura prodigia, & plures historicos indicare vix operæ pretium, cum autores supra citati, præsertim *Lycosthenes* de prodigiis, hoc abunde pręstiterint; & aliqui infra *cap.* 5. ad dicendum testimonium advocandi sint. Nec putandum, solos historicos in raris & admirandis quibusdam apparitionibus ostenta & prodigia invenisse; etiam theologi & philosophi antecedentia signa cum subsecutis eventis post factum non tantum componere, sed & quidam ante egressum statuti

(*Zephan.*

(*Zephan.* 2. *v.* 1.2.) irati Dei signa, & minantem manum in prodigiis illis videre atque aliis commonstrare ausi sunt. Vide *Peucerum in lib. de divinatione*, *Cornelium Gemmam*, *Boisteum*, aliosque. Unum tantum hic indicabo ex *Peucero lib.* 4. *chronici Carionis*: ubi motus Henrici 4. & 5. præcessisse dicit prodigia plurima, Cometas, armatas acies in cœlo, faces ardentes, jacula ignita, monstrosos partus, infantes in utero loquentes, panes fractos sanguinem fluentes. Tertullianus ad Scapulam cap. 3. *Et ignes qui super mœnia Carthaginis proximè pependerunt per noctem, quid minati sint, sciunt qui viderunt, & pristina tonitrua quid sonaverint, sciunt qui obduruerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est quoquo modo possumus, ut & annuntiemus, & prædicemus, & deprecemur, interim localem esse. Universalem enim & supremam suo tempore sentirent, qui exempla ejus aliter interpretantur. Nam & sol ille in conventu Uticensi, exstincto pene lumine, adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate & domicilio. Habetis astrologos.*

Augustinus lib. 3. *de civit. Dei cap.* 23. enarrat prodigium in animalium humanis usibus subditorum subito efferatorum, liberè vagantium & dominorum accessum aversantium, &c. *Quod quanti mali signum fuit? Quod si hoc signum fuit, quod tantum malum fuit, quantum malum fuit illud, cuius hoc signum fuit?* Et cap. 31. *Omitto quippe illa, quæ magis fuerunt mira quam noxia, boves locutos, infantes nondum natos de uteris matrum quædam verba clarasse, volâsse serpentes, &c. & cætera hujusmodi, quæ in ipsorum libris non fabulosis, sed historicis, seu vera seu falsa sint, non inferunt hominibus perniciem, sed stuporem.*

Melanthon (apud *Manlium* in locis commun. tit. de creatione, §. *de signis, portentis, ac prodigiis*) multa refert prodigia quæ suo tempore acciderunt: & particularia quædam malam postquam scil. evenissent, applicat ad sua quæque antecedentia signa. Quod quamvis non semper sit apodicticum, probabilius & tutius tamen est, quam prognoses factæ ante eventum & rei impletionem.

Mornæus Plessiacus in Mysterio iniquit. ad annum 1090. refert ex Sigeberti chronico, prodigia observata, Urbano Papâ Conradum in patrem Henricum concitante; *Quod cœlum frequenter visum ardere, nova astra visa, concurrentes in aëre exercitus*, &c.

Idem in Paschali 2. *Perseverabant in aëre, in terrâ, in mari prodigia, ab omnibus hujus ætatis scriptoribus notata*: nec movebatur his, inquit Platina, Paschalis: quippe qui fieri hæc naturâ credebat. *Quin & ab aliis observari minus patienter ferebat.* Idem Plessiacus in Leone X. *Notant scriptores coætanei nonnulla signa, quæ propinquum ejus casum portenderent. Angelum, qui*

in summo arcis S. Angeli fastigio , sub Alexandro VI. , *fulmine proturbatum* , &c.

Jacobus Usserius in Dublinensi Academiâ anno 1613. theol. professor, postea Archiepiscopus Armachanus in erudito tract. de ecclesiarum successione & statu cap. 3. §. 3. *Ista , sane* , inquit , *universa ab autore hoc commemorata* , ostenta cœlestia , *pestem , famem , terræmotus circa annum tam à nativitate quam à passione domini millesimum contigisse testantur historici.* Et citat ibidem Sigonium lib. 7. de regno Italiæ, dicentem , *annum* 1000, *multis prodigiis ac cœlestibus territamentis fuisse insignem. Hectorem Boëthium histor. Scotor. lib.* 11. prodigia anni 1000. referentem. *Hedipanum Sangellensem , Rupertum Tuitensem , Sabellicum , Fasciculum temporum , Glabrum Rudolphum , Sigebertum , Gul. Naugiacum , Bellovacensem , Antoninum, Nauclerum* , signa & prodigia anni 1001. narrantes. Quæ omnia ipse revelationem Antichristi portendisse putat. *Ibid. cap.* 4. alia referuntur portenta irati Dei signa , & malorum in ecclesiis & politiis prænuntia.

Pezelius part. 2. *object. & respons. pag.* 81. ostenta , tanquam magnarum mutationum prænuntia haberi vult. Verba ejus infra exhibemus.

Hottingerus part. 5. histor. eccles. cap. 16. sect. 16. relatis Cometarum aliorumque prodigiorum apparitionibus , concludit pag. 28. *Hæc omnia quas portenderint calamitates , sequentium temporum historia docet.* Idem part. 1, cap. 7. sect. 1. §. 7. pag. 385.

Inter philosophos, historicos, philologos, aliosque literatos , de portentis testantur sequentes, partim Gentiles , partim Christiani.

Herodoti dictum jam pervulgatum est, quod legitur lib. 6. *Quoties ingentes sunt eventuræ calamitates vel civitati, vel nationi, solent signis prænuntiari.*

Dion Cassius , supra citatus est.

Alexander ab Alexandro lib. 3. genial. dier. cap. 15. *Solere Deum immortalem , cum aliquid diri vel adversi immineat , portentis & prodigiis futurum ostendere, venturasque calamitates, signis minisque cœlestibus præmonstrare, & ipsi novimus , & à non contemnendis autoribus relatum accepimus.* Ibid. exemplo portenti patrum memoriâ in aëre conspecti adducto , subjicit : *Quæ ostenta futurum excidium , cædem, & calamitatem , quæ postea urgentibus fatis secuta sunt, præsignasse nemo dubitavit.*

Joachimus Camerarius lib. 1. de Ostentis pag. 257. *Nulla profecto gens non credidit divinitus plurima existere , quæ eventa & casus singulares præcurrerent.* Id. Ibid. paulo ante : *Vix enim unquam ingens aliquod malum aut urbem aut gentem non præmonstratum oppressit.* Ibid. pag. 280. *Quidquid ergo in cœlo insolitæ formæ apparet , haut dubiè existimatur portendere aliquem ingentem casum ; sed Cometæ atrocia & tristia.*

Conr.

Conr. Lycosthenes in præfat. ad Julium Obsequentem : *Apparuerunt enim hominum memoriâ infinita & horrenda prodigia, quibus Deus justus vindex iram suam mundo minatus est.* Ibid. pag. a. 5. *Omitto alia horrenda prodigia, miracula, atque portenta*, &c. *visa atque audita, quibus flagitiis nostris iratus Deus ultionem atque vindictam minatus est.*

Peucerus de divinat. tit. Teratoscopia paginis aliquot postremis, ubi exemplis ostentorum productis, specialiter hoc observatum scribit in imaginibus acierum, leonum ad pugnam concurrentium, &c. isto sæculo in aëre conspectis.

Cornelius Gemma, in tract. de divinis naturæ characterismis passim multa piè monet de signis & prodigiis : ex lib. 1. cap. 8. hæc ejus verba exhibemus pag. 200. *Circa præsagii genus aberrare non facile est : magna portendi scil. præsertim regibus, quod loco superiore promineant : mox vero & magistratibus & populis, per consortii legem : postremo etiam in hisce mundi simplicioribus elementis propter periculum dyscrasiæ*, &c. *In omnibus denique si dicamus & magna & rara atque insolita posse propediem sequi à portentis ejusmodi, cur adeo vel à pietate Christianâ vel philosophicâ id videbitur alienum?*

Idem lib. 2. cap. 1. pag. 17. „ Præclarum tamen existimo, atque homine „ christiano longè dignissimum, excelsa Dei magnalia, & providentiæ ipsius „ stupenda opera celebrare ; quæ quamvis ex abysso imperscrutabili, ac „ nondum angelis explorata in genus humanum indies proficiscuntur, per„ spicuum tamen divini erga filios suos amoris exhibent characterem: con„ traque defixos luto Epicureos palam demonstrant, quanta sit sibi mor„ talium cura, quàm clemens in admonendis, castigandisque liberis, quos „ malorum domitrix pœnitentia mollit, quique maturè ex tenebris in aper„ tam lucem sese convertunt : quàm severus contra in vindicandis adversa„ riis, qui vel admoniti sæpius, obstinatis animis vim contra leges atque Ec„ clesiam moliuntur.

Ibid. lib. 2. pag. 133. „ Quanquam verò quod reliquum fuit circa præsa„ gia, forsan in animorum suspensione quadam relinquere præstitisset: ne ta„ men omnino mortalium votis, studiisque flagrantioribus desim, subjiciam „ non quæ definiant certò, sed cogitandi altius de præsenti pariter atque „ venturo reip statu materiem subministrent. Erit autem tutissimum, in „ summis generibus generatim & sub hypothesi modum præscientiæ posuis„ se, ut demonstratum est suprà.

Janus Gruterus in polyantheâ, hoc versu trochaico consensum suum exprimit : *Nulla in orbe fit fere absque prodigiis mutatio.* Agmen claudat *Petrus Joh. Twisk* editâ historiâ seu chronologiâ universali, aliisque scriptis in Bel-

gio

gio non incelebris, qui in præfat. ad catalogum Cometarum aliorumque oſtentorum a. 1624. de Cometarum, & oſtentorum prognoſticis & comminationibus practicè & patheticè diſſerit. Atque hæc ſapientum teſtimonia: ad quorum productionem ex abundanti hic iterum moneo, me generalem & indefinitam ſolummodo verorum portentorum ſive πρόγνωσιν ſive comminationem admittere: omnem vero ſpecialem & definitam, tanquam ſuperſtitionem, aut vacuam obſervationem, rejicere: adhæc à ſignorum & portentorum numero excludere plurima, quę ab antiquo Gentiliſmo & hodierno errore populari ominoſa aut portentoſa habentur. Gentilium infinitam pene turbam collegit *Peucerus in libro de divinationibus*; Aliquid etiam huc contulit *Auguſtinus Niphus in tract. de auguriis*: ubi ſpecialiter ſternutationum omina recenſet. Quæ eadem *Alex. ab Alexandro* attingit *lib. 2. cap. 26* Errorum & vanitatum popularium bonam partem antehac indicavimus in 3. *part. diſp. tit. de ſuperſtitione, & tit. de ſortis aliiſque divini nominis abuſibus*, Superſtitionis & vanæ ſcrupuloſitatis ſpecies aliquot perſtringit *Theophraſtus in characteribus cap.* de δεισιδαιμονίᾳ ſuperſtitione; quales, e. gr ſi felis per viam cucurrerit, non prius ire quam alius quis tranſierit; ſi mus ſuccum farinæ roſerit, ad interpretem (ἐξηγητὴν) ire, rogatum, quid facto opus ſit, &c. Longè plures enumerat *Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 13.* Suëtonius in Auguſto num. 92. ſcribit ominoſum & dirum ei fuiſſe, ſi *mane ſibi calceus perperam, ac ſiniſter pro dextero indueretur. Cato, apud Plutarchum*, conſultus à quodam quid mali portenderet quod caligæ à ſoricibus arroſæ eſſent; reſpondebat: non eſſe oſtentum, quod ſorices arroſiſſent caligas; ſed id demum futurum fuiſſe oſtentum, ſi caligæ arroſiſſent ſorices. *Nicetas Choniates* lib. 4. theſauri hæreſin facit 42. *Ethnophronum*, hoc eſt, Gentilium rituum & ſuperſtitionum imitatorum; qui geneſim hoc eſt natalitium ſidus, fortunam, fatum, aſtrologiam recipiunt; item vaticinia, & divinationes quæ auguriis, auſpiciis, cledoniſmis, &c. conſtant: non ſine dierum, menſium, &c. obſervatione. Ubi in refutatione ſubtit. de *Cledoniſmo*, exemplum mali ominis (ἀποτροπιασμοῦ) adfert, quod primum egreſſus pedemque ex domo efferre incipiens *occurrit homini atrato vel alii cuipiam rei, cujus aſpectus nobis inſuavis & injucundus eſſe ſolet.* Huc referri poſſunt quamplurimæ vanitates Judęorum, qualis iſta, quod nomen porci inter res ſcævas & mali ominis numerant. Quia, *decem cabi leprarum deſcenderunt in mundum, & novem acceperunt porci:* Si Thalmudicis tract. *Kidduſchim* credendum ſit. Alias rationes adfert *Maymonides lib. 3. Nevochim cap. 48.* Complures ejuſmodi ominoſos Judęorum ſcrupulos leges in Buxdorfii ſynagogâ.

Nec prætereundum, quod ipſi illi autores, qui portenta nolint contemni, eorundem obſervationem ſatis accuratè diſtinguant.

Corne-

Cornelius Gemma lib. 2. cap. 1. p. 17. *De rebus futuris vana eſt omnium mortalium & ſuperſtitioſa prædictio, quæ neque in finem legitimum ſpectat, nec certis limitibus coercetur, neque naturâ duce, atque ipſius conditoris ſapientiâ gubernatur, ut cum Platone Ariſtoteles aliorumque rectè philoſophantium turba demonſtrat, magiſque confirmant ſacræ literæ.*

Sennertus lib. 2. Phyſ. cap. 2. *Hoc certum eſt cum cometarum ſeu apparitio ſeu generatio inſolita ſit, & rara, eos omnino aliquid portendere, ſi forſan non ut cauſas, tamen ut ſigna divinitus ad iram Dei adverſus hominum peccata denuntianda conſtituta. Quorum tamen ſpecialis ſignificatio ſoli Deo nota; nec ulli hominum revelata ſit: hoc quidem eſt, & omnium ſæculorum obſervatione compertum, nunquam ſpectatum impune cometem,* &c. *Quibus vero regionibus & provinciis hoc portendant, vix homini cognoſcere datum eſt, antequam eventus id docet.*

Polydorus Virgilius tres dialogos de prodigiis conſcripſit: ubi totus eſt in vanis iſtis divinationibus, & ſuperſtitionibus explodendis.

Theologi accuratè & cautè hic diſtinguunt, ad utriuſque evitationem, Epicureiſmi ſcil. & ſuperſtitionis.

Audiatur unus atque alter. *Zanchius de divinatione pag.* 44. dicit fulmina, Cometas, aliaque ignea effecta, trifariam conſiderari poſſe φυσικῶς à philoſophis ut philoſophis, μαντικῶς à divinaculis, θεολογικῶς à Chriſtianis & piis. Primum modum concedit: ſed ad ſcientiam phyſicam referendum dicit, non ad divinationem. Secundum abſolutè improbat. Tertium approbat, & ſic explicat: θεολογικῶς *conſiderantur à piis & Chriſtianis, non ſolum ut naturæ effecta, ſed etiam ut divinæ miſericordiæ vel iræ teſtimonia & ſigna.* Et poſtea: *ſolet enim Deus cum è cœlo, tum è terrâ, tum è mari ſuam tum miſericordiam tum iram his & aliis id genus ſignis mundo declarare, idque biſariam aliquando naturaliter, aliquando ſupernaturaliter*, &c. Idem *Zanchius de operib. creationis, infra cap.* 5. adducendus.

Ad eundem fere modum diſtinguit *Libavius* Cometarum & ignium inſolitorum prognoſticum aſtrologicum à *theologico*: quarum illud tanquam vanum per totam declamationem oppugnat; iſtud approbat. Inter theologos noſtrates *Johannes de Mey in phyſiologiâ ſacrâ* ſapienter rejicit omnes divinationes Gentilium ex portentis & prodigiis, & innumera quæ narrantur prodigia partim falſa, partim vana ſeu levia, e. gr. ſi ex cantu gallorum portendi putetur victoria Thebanorum, & quę in Imperatorum obitu aut paulo ante adulatoriè finguntur accidiſſe; ut ipſis via ad divinos honores ſtrueretur. Qui idem tamen cautè de prodigiis ſic determinat: *Non tamen propterea negamus aliquando Deum per portenta & prodigia quædam ſignificaſſe mortalibus, verum ea extraordinaria fuiſſe dicimus, & quæ nunc ſunt*

prodigia, licet constat et ea aliquid significare ac portendere, nemo tamen nunc est, qui eorum indicationes determinate, distinctè, atque infallibiliter interpretari poßet, præcipuè quod ad singularium hominum casus, aut rerum contingentium particulares eventus. Hæc cum perpetuâ meâ, de Cometis aliisque insolitis in cœlo aut terrâ prodigiis sententiâ (quam etiamnum teneo, & supra explicui) satis conveniunt.

Ob aliquam materiæ affinitatem inseri hic posset digressiuncula de spectris præsentem aut instantem hominum mortem subinde prænuntiantibus; & quid de iis sive credendum sive conjiciendum sit: quæ omnia novi Saduceorum & Epicureorum partiarii an pararii, tanquam vana & imaginaria pariter exsibilant; exemplo Cassii, qui cum Epicureus esset, Bruto spectrum à se visum narranti, respondebat ludibrium esse ex vi imaginatrice conceptum. Sed cum de iis in 1. *part. select. dispp. tit. de spectris*, satis superque egerimus, hic non repetenda duxi.

III. *Argum.* Est ex affectione speciali quorundam insolitorum & admirandorum operum in naturâ: quæ signa, portenta, ostenta dicuntur. Ex illis selegimus ista tria. 1. insolitum lumen aut fulgorem aut ignem supra aut infra ardentem. 2. terræ motum. 3. monstrum: ex quibus analogicè argumentamur; *tum* quod experientia de singulis nos docuerit, quod plerumque sint antecedentia & signa insolitarum calamitatum, & mutationum; *tum* quod scriptura locis *Math.* 24. *Marc.* 13. *Lucæ* 21. collatis nos moneat terræ-motum, & quæ supra atque infra præter solitum apparent, esse *signa, terriculamenta, & præsagia* futurorum malorum.

1. *Insoliti* luminis, aut fulgoris aut ignis ardentis, aut mutationis sive veræ sive ita apparentis circa solis aut aliarum stellarum lumen, aut motum, exempla in *Julio* Obsequente, & in *Lycosthene de prodigiis, Corn. Gemmæ divinis naturæ characterismis, catalogo Petri Joh. Twisk* occurrunt. Exemplum unum atque alterum solummodo hic notabo. De lumine in templo horâ nonâ nocturnâ per dimidiam horam conspecto Josephus lib. 7. c. 12. Quod cum (teste Eusebio lib. 3. cap. 8.) *imperitis aliquid boni videbatur prænuntiare: à legisperitis & sacrorum interpretibus judicatum, illud idem ipsum præsignificare, quod rerum eventa postea confirmârunt.* Tertullianus ad Scapulam cap. 3. ait ignem tunc exarsisse in muris Carthaginis. Orosius lib. 4. cap. 4. inter alia prodigia anno 477. ab urbe conditâ refert flammam repente, scisso terræ hiatu eructatam, tribus diebus & tribus noctibus terribiliter exæstuasse, &c. Et *lib.* 4. *cap.* 13. Cœlum apud Tuscos ardere visum, & Arimini multâ nocte lucem claram effulsisse. Et *lib.* 5. *cap.* 18. inter prodigia, quæ monstra urbem terrebant, globum igneum cum maximo cœli fragore à regione septentrionis emicuisse: in Samnitibus vastissimo

mo hiatu terræ flammam prorupisse. De igni illo, quem trabem appellant, testatur *Gassendus* (apud *Joh. Baptistam du Hamel lib.* 1. *meteor. cap.*4.), quod eum viderit abortu in occasum prętervolantem, & quod eodem tempore per totam Occitaniam visus sit. Adde lumen seu ignem seu splendorem, quem ex obsessâ urbe Constantinopoli propridie expugnationis, nocte intempestâ sursum prodeuntem & in cœlum se rejicientem videbant; eundemque pridie expugnationis, sed procul ab urbe se subducentem. Quo Turcæ, jam desperabundi & solutionem obsidionis parantes, tanquam bono omine, uti interpretabantur, animati, illâ nocte urbem aggressi invaserunt. De quo *Georgius Phranses* (de hoc vide *Vossium* in histor. Gr.) *lib.* 3. *histor. cap.* 13. & ex eo *Filesacus lib.* 1. *selector. cap.* 9. in fine, ex quo *Besoldus in hist. Constantinopolitano-Turcicâ* ad a. 1445. §. 9. p. 577. Nec prætereundum, quod ante biennium in hoc nostro & vicino tractu ignem fere usque ad terram ex aëre descendentem multi fide digni se vidisse asseverabant: post quem passim in Belgio præsertim Amstelodami, pestem sæviisse, aliasque calamitates inde secutas fuisse meminimus. Ad hanc ostentorum classem reduci possunt insolitæ & tantæ solis obscurationes, ut stellæ medio die conspicerentur, & dies in noctem conversa videretur. Talis obscuratio Pericli in bello Peloponnesiaco infelicem expeditionem instructâ classe suscepturo oblata fuit. Alia exempla vide in *catalogo* anno 684. 814. &c. De ejusmodi magnis & insolitis solis obscurationibus (quas vocat eclipses) Pezelius part. 2. object. & resp. ex Melanthone pag. 81. sic censet: *Quanquam*, inquit, *certis naturæ legibus fiant, tamen tristes semper eventus habuisse multorum sæculorum consensus ostendit. Has significationes, divinitus in naturâ ordinatas, superbè ridere atque contemnere, magna certe temeritas atque audacia est.*

Gutberletus in chronologiâ ad ann. 1261. ubi de Imperio Michaëlis Palæologi pag 432. *Apparuit in Græciâ Cometes à solstitio æstivo usque ad æquinoctium autumnale, nec multo sol obscuratis terris tantas tenebras effudit, ut interdiu stellæ effulserint. Hæc signa mox secutæ sunt Turcicæ eruptiones.*

Simon Goulartius in historiâ Imperii Orientalis & Occidentalis ab anno 1220. pag. 450. de iisdem prodigiis censet: *Hæc prævia novarum calamitatum signa, cum mox secutæ sint Turcicæ eruptiones ac progressiones, non contemnamus prodigia aut ostenta, quæ divinitus proponuntur. Lavaterus* similiter part. 1. de spectris cap. 17. ostenta clades aliasque mutationes præcedere concedit.

Froymundus lib. 3. meteor. cap. 3. notat *portentum a.* 1499. *quo luna mutata est primum in nigredinem, post in duas divisa partes, quarum una alteri insultabat retrorsum, utraque rubedine conspersa. Unitæ postea, & tanquam unà occidere. Insecutæ multæ confœderationes*, &c.

Zanchius lib. 3. de oper. creat. cap. 2. de Cometâ aliisque ignibus qui Venetiis visi sunt, paulo ante quam à Turcis regnum Cypri caperetur cum tantâ hominum & virorum præclarissimorum internecione, sic quærit: *Quid de iis dicimus? nunquid tot historiæ, tot experimenta, tot denique observationes nihil valebunt?*

Everhardus Archiepiscopus Salisburgensis in oratione circa annum 1240. in Imperii comitiis habitâ, calamitosa illa tempora describens, inter alia dicebat: *Omnia illa portenta, quæ cœlestis ille magister cantavit nobis (evolvite annales), jampridem fiunt.* Et paulo post: *fremunt undique bella: omnes gentes sunt in armis,* &c. *eruuntur regna, civitates funditus intereunt: non modo ferro atque igni, verum etiam terræ-motibus assiduis, & eluvie aquarum, & morbis frequentibus, & fame.* Fiunt ubique PRODIGIA MIRANDA PER OMNIA ELEMENTA MUNDI. *Aër vitiatus & corruptus & pestilens est,* &c. *Crines Cometarum, solis tenebræ, color lunæ, cadentium siderum lapsus non usitato modo, sanguine obfusum cœlum mentes hominum maximo terrore confundunt,* &c. Hujus orationis bona pars ex Aventino transcripta exstat in *Mysterio Plessei*, & in *Bullingeri oratione* 1. de fine sæculi, qui eam apprimè probat, & Everhardum prędicat virum *clarissimum & piissimum.*

Herodianus in Commodo §. 14. inter alia prodigia (διοσημείας) terræmotus, Cometarum, monstrorum, narrat *stellas per diem perpetuò seu continuò* (συνεχῶς) *visas fuisse.*

Isidorus Hispalensis in chronico pag. 717. edit. Grotii cum historiâ Gothorum, &c. „ Multa eodem tempore cœli & terrę signa præcesserunt, „ quorum prodigiis tam crudele bellum significaretur. Nam assiduis terrę„ motibus factis à parte orientis luna fuscata est. A solis occasu stella Come„ tes adparuit, atque ingenti magnitudine aliquarndiu fulsit. Ab aquilonis „ plagâ cœlum rubens sicut ignis aut sanguis effectus: permixtis per igneum „ ruborem lineis clarioribus, in specie hastarum rutilantium. Nec mirum „ ut *tam in ingenti cæsorum numero* (ferme 300000, uti modo nume„ rum inierat) *strages divinitus tam multa signorum demonstraretur osten„ sio.*

Milichius philosophus Wittebergensis in commentar. ad lib. 2. Plinii cap. 25. „ Semper enim atrocia prodigia secutæ sunt ingentes clades, etsi „ non in genere, de omnibus prodigiis disputo, de meteoris jam loquor, „ & terræ motu, aut similibus.

2. *Terræ-motus* inter signa, ostenta, prodigia communiter numeratur tum ab historicis, tam à theologis & philosophis, & ab ipso servatore *Math.* 24. coll. cum *Marc.* 13. & *Luc.* 21. Adeo ut verè à Plinio lib.

lib. 2. cap. 84. de eo ſcriptum ſit: *Nec vero ſimplex malum, aut in ipſo tantum motu periculum eſt, ſed par aut majus oſtentum. Nunquam Roma tremuit, ut non futuri eventus alicujus id prænuntium eßet.* Quod dictum Plinii annotatur à *Grotio ad Math.* 24. Vehemens enim terræ-motus ratione effectuum ſuorum (quæ Plinius cap. 84. miracula terræ-motus appellat) per ſe eſt judicium & afflictio, & ſimul præambulum aliorum malorum ac judiciorum Dei. Quod innuit Servator Math. 24. v. 8. *hæc ſunt initia dolorum.* Et confirmat experientia, omniumque temporum hiſtoria. & ipſa ſcriptura Nahum. 1. v. 5. ubi de terræ-motu quærit, *ante iram ejus quis ſtabit, & quis ſtabit in irâ furoris ejus?* Et Pſal. 18. v. 7. *Movit ſe & contremuit terra, & fundamenta montium moverunt ſe, & moverunt ſe quoniam iratus eſt.* Et Jobi 9. v. 5. 6. *Qui transfert montes,* &c. *qui ſubvertit eos furore ſuo. Qui commovet terram, & columnæ ejus contremiſcent.* Hiſtorias ſeu catalogos Cometarum ac prodigiorum hic non reponam nec *Garcæi, Froymundi, lib. 4. Meteorlogic. cap. ult. Corn. Gemma lib. 2. cap. 2. Keckermanni* imprimis *in tract. de Terræ motu,* collectanea. Unde conſtat, terræ-motus plerumque fuiſſe prodigia, & (quod ad argumentum noſtrum facit) concomitantia aut ſequentia Cometas. Concludimus cum *Jonſtono* & *Froymundo.* Quorum ille adducit ex *Plinio lib. 2. cap.* 84. quod futuri eventus ſit prænuntium; & ex Socrate, quod diſcordias in religione portendat. „ Iſte ſic conſulit: Quapropter Romani olim ferias edicti imperando fa„ ciebant, id nos faciamus. Metuendum illis erat, ne Deum alium pro „ alio nominando, falsâ religione populum alligarent: notus nobis eſt „ Deus, cujus movetur terra potentiâ. Froymundus ibid. cit. verbis Senecæ, *Quid tibi non dico eſſe auxilii, ſed ſolatii poteſt, ubi timor fugam perdidit;* „ ſubjicit: Non perdidit tamen, & Deum habemus, quo confugiamus. „ Ideo enim hos terrores hominibus oſtentat, ut perituris inhærentes ad „ ſui reſpectum convertat, &c. *Idem Froymundus cap. cit. artic.* 3. terræ-motum anno 1640. Belgium noſtrum (quod rarum & portentoſum) & partes Germaniæ pervagantem deſcribit. Poſt quem an gravia & publica mala ſecuta ſint, norunt omnes qui his temporibus vixerunt, & adhuc ſunt in ſæculo. Philoſophorum teſtimoniis addamus unum atque alterum theologorum. Luculentum habes apud Polanum lib. 5. ſyntagm. cap. 22. „ Aliquando, *inquit,* vult Deus, ut terræ-motus ſint ſigna & præ„ ſagia triſtium motuum in eccleſiâ & politiâ, aut etiam futuræ vaſtationis „ ac ſubverſionis totarum urbium, rerumpublicarum & regnorum. Idque probat ex *Math.* 24 *v.* 2. & ſeqq. *Marc.* 13. *Luc.* 21. *Apocal.* 11. *v.* 13. & variis exemplis ex *Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ*, & recentiori. Quod ex *Apocal.* 11. *v.* 13. à *Polano* ad probationem adfertur, id fateor à mul-

tis interpretibus metaphoricè seu parabolicè accipi : ut scil. terræ-motus notet concussiones, turbas, mutationes in ecclesiis aut politiis, aut utrisque. Jesuita Ribera in comment. ad locum de terriculamento terræ-motus propriè accipit : *ut magis terreantur impii, & pœnitentiam agant, quod tantis prophetis non crediderint.* Et Imman. Sà in notis : *iræ Dei signa erant ista omnia.* Propriâ vocis significatione servatâ, Polanus non improbabiliter dicit, *eventum exactè respondisse* : hoc est, *perturbationem ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ movendam à Romano Pontifice præcessuros terræ motus.* Probat ibid. ex horrendo illo terræ-motu qui anno 1298. sub Bonifacio VIII. accidit, quem describit *Platina*, & in quos terrores & angustias Papa Bonifacius VIII. per eum conjectus sit. *Ne*, inquit, *existimares tum Deum cum hominibus pacem habuisse, tantus repente terræ-motus exortus est, quantus nunquam antea*, &c. *Apparuit tum quoque Cometes, magnæ alicujus futuræ calamitatis indicium.* In appendice ad Martinum Polonum, Basileę cum *Martini chronico* editâ, & postea Antwerpiæ apud Plantinum 1574. per Suffridum Petri, eadem ostenta describuntur. De hâc appendice Suffridus pag, 419. *Quæ hinc porro sequuntur, appendicis loco Basileensis editio adjecerat; nos ut Martiniana subiungemus.* Calamitates quæ hæc portenta exceperunt, per Bonifacium illatæ, recensentur à *Platina*, *Stellâ*, *Mart. Polono*, &c. & plenissimè ex istis aliisque historicis à *Mornæo Plessiaco in Mysterio iniquitat.*

3. *Monstra*, hoc est, insignia naturæ ἁμαρτήματα (uti ea à philosophis appellari solent), inter ostenta numerari posse, quasi communis sententia est. Nos omnibus, quæ ab historicis, & prodigiorum catalogis dicuntur, non insistimus. Sufficit nobis, si de insolitis & admirandis maximè, aliquid si non credere, saltem innoxiè præsumere liceat : aliquâ pręeunte experientiâ, & virorum minimè futilium opinione. *Arnoldus Sorbinus* Tholosanorum theologus & regius ecclesiastes anno 1570. edidit *tractatum de monstris* & iis, quæ circa eorum tempora acciderunt, à Constantino usque ad sua tempora, ex historicis collectum. Quod in fine monstrum 1512 Ravennæ & alterum 1623. Waltelsodorsi natum vitulo-monachum, antiquam Hetrusco-Romanam ostenta interpretandi methodum secutus, ad ministerium & prædicationem *Lutheri* & Africam, hoc est, Galliam (uti loquitur in *epist. dedicator.*) referre voluit; id ipsi relinquendum est. Aliter longè *Surius* infra citandus, qui de clero & populo Papistico in Italiâ monstrum 1512. interpretatur. Hoc saltem in lucro deputamus, quod rara & insignia monstra aut ut malorum prænuntia, aut ut Dei commonitoria, absque vanâ curiositate & superstitione considerari posse, exemplis allatis ab illo docemur. *Epigrammata Joh. Aurati*, *Antonii Valerii medici*, *Acedii*

dii le Roy, *Joh. Benedicti Franciscani* in commendationem operis præmissa non ineptè idem incultant. Unum eorum, *Joh. Benedicti* Hebraicum ex *paraphrasi latinâ Antonii Valerii medici* hic libet exhibere:

Hic vestras dociles reges, convertite mentes:
Hic Christi vocem Proceres audite Monarchæ:
Vos ô Reginæ fastum dimittite vestrum:
Vosque sacerdotes vestros horrescite casus:
Cuncta Adami patris trepidâ formidine proles.
Plurima gignuntur (spectacula tristia) monstra,
Quæ rerum eventus signent instare sinistros, &c.

Ex Joh. Aurati Epigrammate paucula ista excerpo:

Monstra Deique minas, divinantumque furores,
Et dubios pueros, ambiguasque feras
Somnia, visa, notas, miracula cætera rerum
Sunt quos scire piget, pars nihil esse putat.

Et paulo post:

Credulus utque nimis, sic his incredulus errat,
Dum leviora cavens in graviora cadit.
Namque superstitio, si quam major facit æquo
Hæc pietas, minus est impietate nocens.

Melanthon part. 1. *consilior. part.* 23. describit & explicat monstrum dictum Papasellum anno 1496. Romæ in Tyberi mortuum inventum: cujus caput erat asininum: dextra manus elephantino pedi similis: sinistra manus hominis: pes dexter bovis ungulam referens: sinister pes gryphis ungulæ similis: venter pectusque muliebre: squamæ piscium illitæ brachiis, pedibus, collo; non pectori aut ventri: senile caput vicinum coxis: draco ex podice Papaselli prospectans, apertisque faucibus flammeum torrentem minitans. Lutherus ibidem Melanthonis explicationi suum *Amen* subjiciens, putat hoc similibusve monstris tanquam obstupendis *signis vocari ad pœnitentiam*. De quibus ibidem conqueritur, quod præfractiores effre-
„natioresque facti, usque adeo securitatem, fastum, profanitatem cumu-
„lant, alunt, atque adaugent, ut audaciam libidinemque suam ipsi vix fe-
„rant; perinde quasi nulla cœlestis ira, numenve divinum, furores eorum
„frangere valeat; & hæc atrocia signa, tanquam fallaces umbras, aut um-
„bræ somnia cyclopicè aspernantur. Monstrum, quod Papasellum indigitant, Romæ in Tyberi mortuum inventum esse, *Lycosthenes in libro de prodigiis* ex historicis notavit; ejusdem meminit *Gemma lib.* 2.*c.* 3. *Fort.Lycetus lib.*2.*pag.* 265. ejusdem figuram exhibet. Qui idem *lib.* 1.*cap* 2. contra plerosque viros (uti fatetur) insignes contendit, monstra à Deo non procreari, ut homines mo-

moneant, de futurâ calamitate. Rationes ejus minimè adamantinas non vacat hic excurere. Græcis dicitur τέρας cujus vocis origo in Etymologico magno derivatur ab εἴρω *dico*, quod Deus eo aliquid prædicat. Latina vox *monstrum* Flacco & Festo, à monendo, ducitur, velut monestram: aut à monstrando, quo monstret futurum & monent voluntatem Deorum. Cicero 1. de divinat. à monstrando. Nonius Marcellus: *Monstra & ostenta sunt monita Deorum.* Virgil. lib. 3. ---- *primumque parenti monstra Deum refero.* Prodigia *Deorum minæ vel iræ*, &c. *Salmasius in notis ad Tertull. de pallio pag.* 78. similes derivationes facit, *oscillum* ab oscillo, *gubernum* à guberno, *pandum* à pando. Aliud etymum substituit *Lycetus.* Nos argumento ab etymologiâ non insistimus; nec singula monstra ita dicta, cujuscunque speciei (decem à *Lyceto lib.* 1. *cap.* 13. enumerantur) ostenta aut portenta esse contendimus: sed rarissimis quibusdam & maximè enormibus arque admirandis, à signorum, terriculamentorum, τεράτων, in sacris literis ita dictorum, classe removendis, Lyceto non ausim accedere, & communiori sapientum sententiæ refragari. Quamvis enim rationem naturalem multorum à *Lyceto* redditam nolim negare: Papaselli tamen & aliorum quorundam maximè enormium causam proximam & adæquatam rationem non assignavit, ne quidem investigare conatus est. Quid dicendum de horrendo & multiformi illo quod ipse apud Sub Alpinos in *Quiero* in lucem prodiisse scribit (pag. 258.) tanto cum clamore, ut obstetrices & reliquæ mulieres clinicæ consternatæ, è vestigio ab ædibus puerperæ in fugam se dederint? Quid de simili apud *Lemnium lib.* 1. *de occ. nat. mirac. cap.* 8.? Quid de monstro illo ex Guineâ Amstelodamum apportato quod à doctiss. & dignitatibus politicis eminente *Nicol. Tulpio* describitur *lib.* 3. *observat. medicar. cap* 56. cujus etiam meminit celeberr. *Grotius in epistolis ad Gallos epist.* 20. *ad fr. Puteanos?* Malo ergo cum theologis & eximiis philosophis ac medicis, præeunte experientiâ, de raris & enormibus ejusmodi monstris credere, quod aliquid monstrent aut moneant. Adscribo verba eximii theologi & philosophi Zanchii part. 1. lib. 7. de oper. creat. cap. 1. *Dum igitur monstra, naturæ peccatum ac corruptionem demonstrant: simul etiam causam hujus corruptionis, nempe peccatum humani generis, & sæpe etiam peccata proximorum parentum, prædicant, iramque Dei* (nota) *portendunt*, &c. *hoc autem salutare est electis: quia monentur de judiciis Dei, eoque de resipiscentiâ.* Ex philosophis & medicis non pauci ad partes vocari possent: quorum aliquos hic indico; & sunt *Weinrichius de monstris* (si bene memini: sed liber nunc ad manum non est), *Peucerus de divinat.* & *lib.* 4. *chronici pag.* 276. 337. *Melanthon*, & ex eo *Cardanus lib.* 12. *de subtilit.* refert prodigium infantis ante bellum Smalcaldicum in Francorum pago nati; ex cujus materno utero

pro-

prominens gladius conspectus est, qui nullâ arte, antequam supputaretur uterus, extrahi potuit. Idem *Cardanus*, ad libros de æternitatis arcanis disquirendum rejicit, an semper talia monstra aliquid præsagiant. *Corn. Gemma lib.* 1. *cap.* 6. non pauca monstrorum exempla exhibet; cujus verba hic visum exscribere, pag. 94. „ Quæ autem nimis rara, variâ ac insolenti specie „ à notâ rerum formâ discrepant, hęc certè omnino divinitus edi consen- „ taneum est: ut vel depravatæ religionis imaginem, vel tyrannorum pe- „ stilentiam, vel seditiosi populi inconsultam-temeritatem sub obtutus „ mortalium ponant, ut monstrum in Tyberi inventum anno 1496. &c. ubi describit Papasellum, cujus supra meminimus. Hunc autorem si audiant Pontificiis partibus addicti, non tam aliena & absurda Melanthonis & Lutheri parabolica Papaselli interpretatio, (cui tamen vim & certitudinem demonstrationis non tribuo) ipsis videri debebit: ac quidem visa fuit *Lyceto*, qui loc. cit. Luthero maledicit ob editam monstri vitulo monachi anno 1522. Waltersodorfi nati interpretationem: *De quo*, inquit, *monstro Martinus Lutherus, damnatæ memoriæ, libro edito, suam exposuit sententiam.* Quidquid sit de Lutheri teratoscopicâ, saltem absurdior non est Sorbinicâ, quæ idem monstrum de Luthero monacho interpretabatur: uti supra indicavimus. *Laurentii Surii* in commentar rerum in orbe gestarum ad ann. 1512. teratoscopica, hac occasione, non est prætereunda; Sic enim ille pag. 67.
„ Hac ferè tempestate monstrum Ravennæ visum ferebatur utrunque ha- „ bens sexum, cornu uno extante in capite, alatum, & sine brachiis, uno „ duntaxat crure & pede instar avis rapacis, & in genu oculo uno, in pecto- „ re figura apparente literæ Y. vel V. cum signo crucis. Interpretationem „ quidam ejusmodi esse voluerunt, Superbiam, Levitatem, Virtutum ino- „ piam, Sodomiticam labem, Amorem rerum labentium, Dei oblivionem, „ Inexplebilem avaritiam, Gallico flagello castigatum iri. Quod & factum „ est. Eodem enim anno Gallorum Rex Ludovicus, rupto cum Pontifice „ & Maximiliano fœdere, Ravennam obsedit, & tandem deditione rece- „ ptam urbem, contra fidem datam diripuit, & magna clade affecit.

Vallesius de philosoph. sacrâ cap. 30. distinguit prodigia seu portenta, inter quæ fœtus monstrosos numerat, in *divina*, & in *vana*; cum quibus falsa conjungit. Plurima esse vana aut falsa fatetur: non tamen omnia aut omnino: *siquidem*, inquit, *Deus opt. maximus, gubernationem rerum humanarum penes se esse, ubi magnæ aliquæ earum mutationes instant, portenta quædam faciens indicare solet.* Ibid. pag. 257. Quoniam vero Deus non Chri- „ stianarum rerum solum, sed humanarum omnium providentiam habet & „ gubernationem, ut ex eo quod contigit Balthasari Regi palam fit, non „ est quod fidem abrogemus iis, quæ de Romanorum & aliarum gentium

„ portentis narrantur, & neque iis, quæ Josephus accidisse narrat paulo ante „ excidium Jerusalem, &c.

Sed ne nimis multis philosopho-medicorum testimoniis adducendis lectori fastidium pariam, unicum solummodo Libavium modo citatis adjungam. Is in 2. parte Singularium tit. de Vagitu uterino pag. 280. refert creditum esse vagitus tales aliquid mali portendere sive fœtui, sive matri: & nonnullos arbitrari publicam calamitatem designari. Post pag. 285. respondens objectioni, sententiam suam haut obscurè prodit: *Existimandum est, quanquam in multis ponatur omen, ubi nullum est, tamen in quibus est directionem primumque motum fieri ab aliquâ causâ superiore*, &c. *Si hic quoque sublimior est instinctus, non sine prodigio, quanquam fœtus non intelligat.* Idem Libavius lib. 7. de universit. & origine rerum ad diem 6. pag. 718. ubi memoratâ hominis cujusdam monstrosâ proceritate, addit: *Theologi in his peccatum & iram Dei rectè proponunt.* Fere ad eundem modum, quo theologicas de Cometis observationes in declamatione suâ anno 1604. comprobat. Meditationem an disquisitionem hanc de enormium & terribilium monstrorum, aliorumque portentorum sive præsagiis, sive commonitionibus, & comminationibus, concludo istis theologorum judiciis. Quorum primus est ex scholasticis, duo posteriores ex nostris in sacrâ & sæculari lectione atque eruditione, versatissimi. *Primus* est Pelbartus Themesvar ordinis Minorit. qui in Rosario lib. 2. in voce *naturâ*, verbis Isidori Hispalensis de monstris sic censet: „ Sicut Deus per somnia, per oracula, ita interdum „ ventura per facta scil. aliqua nascentia vult significare: quatenus præmo- „ neat: unde & portenta à portendendo, id est prçostendendo, & monstra „ à monitu demonstrando sunt dicta.

Secundus est; Daneus part. 1. phys. Christianæ cap. 6. „ Deus immediatè „ talia portenta in naturâ edit ac existere vult, tanquam magna irę suæ in „ hunc orbem indicia, & ipsius etiam generis rerum (in quo talia monstra „ nascuntur) ludibrium, & apertum despectum, & contumeliam. Hujus- „ modi monstra accidisse in populo Dei, nusquam commemorat scriptura. „ Josephus tamen lib. 7. de bello Judaico unum accidisse recitat. Inter suos „ autem sæpe accidisse scribunt ipsi profani, &c.

Tertius est Petrus Martyr in epistolis (quæ cum locis communibus editæ) epist. ad Lavaterum anno 1556. pag. 1115. „ tum quod certiorem me „ feceris, quibus prodigiis istic homines à Deo commonefiant, &c. provi- „ dendum censeo, ut precibus fide singulari accensis, & vitæ aliqua emen- „ datione divinam iram deprecemur. Si enim Ethnici, ut apud Livium „ cęterosque bonos scriptores legimus, cum de prodigiis atque portentis „ alicubi æditis, certiores fiebant, sacrificiorum multiplicibus variisque

ge-

,, generibus, ea procurabant: Quid nos vera Christi luce instructi facere debemus? Victimas citra unum Christum Jesum non habemus, attamen preces cum pœnitentia, & sancta vita cuique nostrum proponuntur in divinis literis: quibus impendentia flagella sæpissime leniuntur. Magna certè ubique socordia est, & pernitiosissima securitas, non itaque mirum si prodigiis hujus generis Pater cœlestis pro sua misericordia, nos curat excitari. Non enim vocavit nos ad sanctum suum Euangelium, ut in otio dormiremus, ideoque videns, non ita ut par erat, commoveri homines verbo prædicationis, doctrinaque sacrarum literarum, de cœlo quoque monet, non ut filios suos quos charissimos habet, perterrefaciat, sed ut eos ad pergendum quo tendunt incitet, & ad levanda capita, quod suam redemptionem jam appropinquare, imo instare videant. A signis cœli hujusmodi paveant impii, qui toti pendent à secundis naturæ causis, neque fulcrum habent divinarum promissionum, neque tutissimam fidei ancoram, quibus nitantur.

IV. *Argum.* A minori ad majus analogicè concludi posset, saltem probabiliter: Si alia quæcunque Dei opera in natura tribus vocibus loquantur (juxta pervulgatum illud Hugonis de S. Victore) *accipe, redde, fuge*; hoc est, *accipe beneficium, redde servitium* seu *officium, fuge supplicium*: cur dici non possit rara & admiranda Dei opera, terræ-motus scil., Cometas, aliaque in aëre aut in cœlo insolita phasmata, hominibus ex conspectu creaturarum creatorem non honorantibus, nec creaturis benè utentibus, iram Dei annuntiare, & mala portendere? Est enim & rectè dici solet mundus *liber naturæ*, in quo legimus sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam creatoris. Quin & præeunte scripturâ, ceaturæ suo modo sunt præcones verbi & mandati divini, sunt verbum Dei ab ipso Deo revelatum. Nam quod de Deo cognosci potest, ipse Deus revelasse dicitur *Rom.* 1. *v.* 19. Apud Gentiles absque luce scripturæ in viis suis ambulantes, Deus non passus est se esse expertem testimonii Actor 14 v. 17. *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. dies diei loquetur sermonem, &c. *Non est sermo & non sunt verba, non auditur vox eorum*, &c. *In omnem terram exivit sonus eorum*, Psal. 19. Tonitrua appellantur *vox Dei*, Psal. 29. Hinc est quod interpres Belgicus celebri *Mornæi Plessiaci* libro de veritate religionis Christianæ titulum *Biblia naturæ* non ineptè præfixerit. Ad hunc librum remittimur Job. 12. v. 7. 8. *Et verè interroga jumenta, & docebunt te*, &c. *& narrabunt tibi pisces maris. Quis non novit secundum omnia hæc, quod manus Domini fecit hoc*? Ex libro naturæ apud Gentiles philosophos disserebat Apostolus *Actor.* 17. Ex eodem Deus idololatras arguit *Jesa.* 40. & 44. Eundem Jobo evolvendum proponit, cap. 37. - 42. ut relucentem in omnibus operibus sapientiam, bonitatem, poten-

tiam conditoris agnosceret. Ex eodem libro gloriam Dei celebrabat divinus Psaltes *Psal.*8. & 104. Quamvis hæc sint opera naturæ, quæ Deus quotidie aut frequenter operatur, *admirabilia tamen sunt* (ait *Zanchius part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. *de cœlestibus & meteoricis impressionibus*) *sed à paucis considerantur, ut considerari debent.* Audi Psaltem grandi charactere Psal. 29. v. 3.-13. cum Psal. 68. v. 32. 33. *vocem Dei*, hoc est, tonitrua & fulmina Psal. 97. v. 1. - 6. prædicantem. Gentilis Poëta Getulum suum Jarbam sic loquentem introducit,

--- An te genitor, cum fulmina torques,
Nequidquam horremus, cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos & inania murmura miscent.

Universa theologia naturalis huc advocanda esset, si libri hujus folia numerare saltem & cursim lustrare occiperem. Multi artem hanc & methodum inter antiquos & recentiores jam occupârunt, quorum aliquos alibi indicamus.

In mundo superiori & inferiori sunt signa prognostica, ad quæ Deus homines jubet attendere. Astra sunt posita in signa, *& tempora, & dies & noctes* Genes 1. v. 14. Prognostica aëria à Servatore nostro probantur *Math.* 16. *v.* 2. 3. *Luc.* 12. *v.* 54. 55. Iis ergo utimur, scripturâ, experientiâ, sapientum indicio & autoritate nos manuducente. Ita absque superstitione cum *Virgilio in Georgicis, Hesiodo in oper.* & diebus, *Arato in* διοσημείοις, *Varrone lib.* 1. *de re rusticâ cap.* 35. *Plinio lib.* 2. *cap.* 9. & *lib.* 18. *cap.* 35. *Vegetio lib.* 4. *de re militari cap.* 40. 41. *Rhodigino lib.* 8. *cap.* 6. & *lib.* 24. *cap.* 28. *Mizaldo in ephemerid. aëriis*, tempora serenitatum & tempestatum distinguimus; atque omnia arboribus, satis, pecoribus, corporibus nostris noxia sive imminentia sive minitantia declinamus aut prævenimus. Idem de medecinæ parte semioticâ pronuntiandum est. Cur tempora difficilia & mollia ad pacem nostram pariter non discernamus? cur signa eorum, duce scripturâ, experientia, sapientum autoritate, (uti jam probatum est) non observemus? Modo intra terminos illos nos contineamus; nec ad vanas Gentilium divinationes & ostentorum interpretationes scripturâ, experientiâ, ratione destitutas prolabamur: quales in ipsas effectorum naturalium observationes irrepsisse ex *Galeoti Martii* doctrinâ promiscuâ cap. 22., ex ineptis nonnullis astrologis, & almanachicorum fabris, ex Ptolomæi centiloquio deprehendimus: de quo antehac in dispp. de *superstitione*, *& de prophetiâ*. De Tyberis inundatione & in mœnia ascensione, deque Ætnæ & Vesuvii incendiis, ad instar terræ motus, non tantum nocentibus, sed & alias calamitates portendentibus, antehac variorum observationes proditæ: quas omnes nec adoptare, nec temere velim exsufflare. De Vesuvii terribilibus incendiis

diis exſtant *Alzari* medici Romani, aliorumque tractatus peculiares. De Tyberis inundationibus recentiſſimus ſcriptor *Phil. Ferrarius*, matheſios in Ticinenſi Acad. Profeſſor, poſt omnes in inſigni lexico Geographico Londini anno 1657. excuſo in voce *Tiberis* ſic fatur: *Tiberis inundationes magnas, magnæ ſolent calamitates belli, famiſve ſequi.*

CAP. IV.

Quid de timore ex apparitione & conſpectu Cometarum concepto, judicandum ſit.

RAncidum Stoicorum paradoxum de ſapientum ἀπαθείᾳ, hoc eſt, *vacuitate ab omni affectu*, à ſcholis Chriſtianorum non immerito profligari nemo dubitare poterit, qui ex Dei verbo edoctus eſt, ſervatorem noſtrum ab omni affectu doloris, timoris, gaudii, indignationis, in humanâ naturâ non fuiſſe immunem: inſuper à Chriſti imitatoribus in rectæ rationis gyrum eoſdem affectus coërcendos. *Iraſcimini & ne peccate* Epheſ. 6. v. 26. *ut ne contriſtemini, ſicut & reliqui, qui ſpem non habent* 1 Theſſal. 4. Ut ad affectum timoris, de quo hic quæritur, deſcendamus: tantum abeſt, ut ſcriptura eum exſtirpatum velit, ut contra unicè commendet, tanquam cordis humani cuſtodem ac janitorem. *Servite Domino cum timore & exultate cum tremore* Pſal. 2. In timore & tremore operamini ſalutem veſtram Philipp. 2. *Finis verbi omnis auditus eſt, Deum time, & mandata ejus cuſtodi.* Eccleſ. 12. v. 14. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Pſal. 112. v. 1. Objiciat forte quis ſcriptum eſſe eodem Pſalmo v 7. 8. *Ab auditione malâ non timebit, paratum cor ejus fidens Domino. Firmum cor ejus non timebit.* Et Math. 10. v. 28. *Ne timete eos, qui corpus occidunt.* Jeſa 41. v. 14. *Noli timere vermis Jacob*, &c. Apocal. 21. v. 8. damnati dicuntur meticuloſi. 2 Timoth 1. v. 7. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum formidinis, ſed roboris, & caritatis & ſanitatis animi.* Ad quod reſpondeo, cum in ſcripturis nulla ſit repugnantia, diſtinguendum eſſe timorem. Alius enim eſt panicus & ſubitus terror hominem opprimens. Alius perpetuus & permanens cum deſperatione, infidelitate, ſuperſtitione, impatientiâ ac murmuratione, & à verſione à Deo, ac malæ conſcientiæ torturâ conjunctus: Qualis Belzazari *Dan.* 5. *v.* 6. & impiorum in noviſſimo judicio *Luc.* 21. *v* 25. 26. 27. aliorumque terribilium judiciorum exſpectatione & adventu *Jeſa.* 2. *v.* 19. *Luc.* 23. *v.* 30. Similis huic, ſed in gradu excellentiori, terror damnatorum, & dęmonum, de quo *Jacob.* 2. *v* 19. Alius eſt ſalutaris; iſque vel filialis & reverentialis, *Pſal.* 2. *v.* 11. *Philipp.* 2. *v.* 12. 1 *Petr.* 1. *v.* 17., cum converſione ad Deum cum cultu

Dei, cum fiducia, & oblectatione in Deo, cum spe, cum amore Dei, conjunctus. Talis timor in animis nostris fovendus, excitandus, confirmandus. Ad salutarem timorem reduci debet timor ille servilis & initialis, qui cum sensu ac detestatione peccati, & Dei ac gratiæ ejus quæsitione conjunctus, animas salvandorum ad filialem timorem præparat. Qualis est omnium ad Deum se convertentium; & cujus exempla habes in Paulo *Actor.9. v.6.* & in commentariensi *Actor.16. v.29.* Timor salutaris & filialis primo & per se fertur in Deum (haut aliter ac theologi loquuntur de affectu amoris): deinde & consequenter in alia φοβηρὰ timenda tum bona, tum mala; idque propter Deum, in Deo, ex Deo, ad Deum: qui uti amor noster esse debet, sic etiam *timor* & *pavor* Jesa.8. v.13. Inter bona, quæ materiam aut occasionem timoris nobis præstant, est verbum Dei, Jesa.66. v.2. *respiciam ad pauperem & contritum spiritu, & trementem super verba mea.* Verbum autem Dei sonat in libro scripturæ, & in libro naturæ. Utrobique audiri potest & debet verbum comminationis, commonitionis, denuntiationis iræ & judicii. Hoc verbum *maßa*, id est, oneris seu onerosum, quo affectu excipiatur exemplo suo docet propheta: *Domine audivi auditum tuum, & timui,* Habac. 3. v.2. *Calcasti in mari equos tuos, in acervo aquarum multarum. Audivi & expavit venter meus, ad vocem contremuerunt labia mea.* Ibid. v.15.16. *Nunquid contra flumina iratus est dominus? num contra mare est ira tua?* Ibid. v.8. Terribilis Deus sentitur in tonitru, fulmine, vento, igni, terræ-motu, morbis, fame, hominum cladibus, aliisque malis φοβεροῖς. Ut enim bona appetunt omnes & prosequuntur, sic mala timent & fugiunt. Inter omnia mala externa mortem omnium φοβερῶν φοβερώτατον appellat philosophus, ubi disserit de fortitudine. Et recte; si mortem in se spectes, ac in morte nil nisi mortem. Eandem Bildad Suchites (Job.18. v.14.) appellat *regem terrorum.* Præter mortem nullum est malum sive turpe sive triste, quod non sit occasio metus. Metuit quis homines notos, ignotos, tyrannos, prędones, turbones, amicos, propinquos, etiam seipsum & proprias manus; timet Danaos & dona ferentes; timet cœlum & terram, ignem aquam, metalla & lapides, arbores & frutices, animantia fera, & domestica, perfecta & insecta: prout nobis nocent aut nocere possunt. Metuit ignominiam, famem, plagas, vulnera, morbos, symptomata, denique quævis mala animi, corporis, fortunæ, publica privata. Unum Deum qui timet, omnia illa non timet, aut timet salutariter, tanquam non nocitura aut in bonum operatura. Rom.8. v.28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* &c. Psal.118. v.6. *Dominus mecum est, non timebo quid faciat mihi homo.* Psal.91. v.5. *non timebis à timore noctis, à sagittâ volante per diem, à morte,* &c. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Deus enim cum timen-

timentibus se *fœdus percutit cum bestiis agri*, &c. Hos. 2. v. 20. Ille *exaudiet cœlos, & cœli exaudient terram. Et terra exaudiet triticum & vinum*, &c. Hos. 2. v. 23. adeo ut in mediis malis & afflictionibus gloriari possint *Rom.* 5. *v.* 2. & cum divino Psalte Psal. 46. v. 1. 2. 3. canere: *Deus nobis spes & fortitudo, auxilium in angustiis*, &c. *propterea non timebimus, cum mutabit terram, & cum moverit montes in cor maris*, &c. Piis illud profani Poëtæ verè competit:

Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ.

Illis præsto est panacæa fidei & fiduciæ, quâ metui & dolori oppressuro resistunt. Sicuti autem omnia hujus vitæ mala salutariter timentur, aut non timentur: sic & eorundem malorum signa aut comminationes. *Leo rugiit, quis non timebit*? Amos 3. v. 8.

Si medici & ægri ad signa morborum & symptomatum attendunt, agricolę & nautæ ad signa tempestatum, milites ad signa insidiarum, aggressionum, & impugnationum hostilium, eaque suo modo metuunt: Quidni ad φοβητρὰ in cœlo aut in terrâ iræ, comminationum, & judiciorum Dei nuntia extimescant homines, ingratitudinis suæ & multiplicium peccatorum sibi conscii? Sic tamen, ut adversus peccata sua & versus Deum quem offenderunt, torrentem timoris deducant. Quo ritè facto timebunt, non timebunt, animoso ac confidente timore, exultantes cum tremore: haut aliter ac Apostolus tristis erat, & tamen semper lætus 2 *Cor.* 6. *v.* 10. Qui sic metuit, non tam hujus vitæ mala metuit, quam peccata: quomodo celeberr. & piissimus theologus Joh. Raynoldus morti vicinus percunctantibus quibusdam, *dolorem nec ne habuisset aliquem, ex iis quæ nuper illi accidissent*, piè respondebat: *se ob nihil dolere aliud quam ob peccata sua.* Ita refert Parkerus in pręfat. ad librum de descensu ad inferos. *Qui timet Dominum & mandata ejus vult valdè*, &c. à rumore malo non timebit; paratum cor ejus fidens domino. Firmum cor ejus non timebit Psal. 112. v. 1. 7. 8. *Etiam cum ambulavero* (Psal. 23. v. 4) *per vallem umbræ mortis, non timebo malum: quoniam tu mecum.* Jerem 23. v. 4. *& non timebunt ultra nec formidabunt.* & 33. v. 16. *In diebus istis servabitur Jehuda, & Jerusalaim habitabit confidenter.* Proverb. 28. *v.* 1. *Fugerunt, & non erat persequens, impii; & justi veluti leunculus fident.* Ita & φόβος & ἀφοβία justo conveniunt: nec se mutuo excludunt. Justus, ait Aquinas part. 3. qu. 15. art. 7. „Justus dici-
„ tur esse absque terrore, secundum quod terror importat perfectam passio-
„ nem, avertentem hominem ab eo quod est rationis. Deum unicè timet tanquam ignem consumentem, *Hebr.* 12. *v.* 29. in cujus manus terribile est incidere, nihilominus tanquam optimum & benignissimum patrem; peccata timet tanquam mala tantum mala, & turpitudinem turpissimam;

iram

iram Dei timet, omniaque iræ divinæ effecta & judicia, externa scil. hujus vitæ mala per se molesta, tristia, φοβερά; Signa & indicia judiciorum Dei timet, quibus significatur calicem esse in manu Domini Psal.75. v.8. *Quia calix in manu Domini, & vinum rubuit, plenus est mixto, & effudit ex hoc. Veruntamen feces ejus, quas expriment, bibent omnes impii terræ.* Ut ad apparitionem Cometarum hæc applicemus; timent pii hoc signum de cœlo tanquam nuntium aut comminationem malorum; timent mala illa tanquam judicia Dei; timent peccata sua tanquam judiciorum & indiciorum istorum causas; timent Deum tanquam omnium istorum autorem, tanquam lucis & tenebrarum creatorem. Timent sibi & suis; timent justis & ecclesiæ Dei, scientes à domo Dei subinde plagas Dei incipere 1 *Petr.* 4. *v.* 17. timent patriæ suæ, timent mundo, à venturis aut minantibus plagis, timent impiis, quorum peccata instar Sodomæ fecerunt consummationem, *Gen.* 19. *v.* 21. qui mensuram patrum suorum implerunt *Math.* 23. *v.* 32. quibus pià quâdam præsumtione portionem calicis, qui nunc in manu Domini, assignant. Memini mihi adolescenti anno 1607. in tyrociniis studiorum Lugduni Batavor. versanti, à commilitone quo lectionem M.S. epigrammatis de Cometa istius anni authore *Philippo Lansbergio* pio & erudito theologo, & in disciplinis mathematicis plurimum versato (quod scripta ejus testantur) concessam fuisse: cujus duo postremi versus solummodo memoriæ inhærent.

At tu sæva Babel nondum exsatiata cruore,
Horresce, plange, corrue.

Laudavi antehac in 1. *part. select. dispp. tit. de signis* laudatum à variis responsum Ludovici Imperatoris fil. Caroli Magni datum astrologo suo super apparitione Cometæ. *Nic. Serrarius* Societ. Jesu theologus in *commentar. ad* 2. *lib. Machab. cap.* 5. *pag.* 391. de responso illo pronuntiat; *Hæc ille sane quam sapienter:* sed Carolo Magno tribuit, citato ad hoc Fasciculo temporum. Quod in meo exemplari excuso Coloniæ 1474. non invenio; nec etiam in Eginharto vitæ Caroli Magni scriptore. Inhæreo ergo meæ & aliorum citationi, imprimis polyistoris *Vossii* qui *lib.* 3. *de Idololatriâ cap.* 9. ex scriptore vitæ Ludovici Pii, (qui ejusdem astronomus erat) Ludovico adscribit; & ex eodem historiam exhibet. Ante quem, Baronius historiam hanc anno 1600. in tom. 9. annalium ad ann. 837. ex eodem scriptore vitæ Ludovici, sed paulo plenius, transcripserat. Nos ista solummodo inde excerpimus. „ Mediante, inquit, scriptor, festivitate Paschali *dirum semper ac „ triste portentum.* Ibidem (*Aquisgrani*) Cometæ sidus in signo virginis ap- „ paruit, &c. quam rem cum primum Imperator talium studiosissimus con- „ spexisset, constitit, & antequam quieti membra committeret, accitum quendam,

„quendam, itemque me qui hæc scripsi, & qui hujus rei scientiam habere „credebar, percontari studuit, quod super eâ mihi videretur; *Et postea:* „Cumque aliquid dicerem, & aliqua tacuissem: Unum est, inquit, quod „adhuc silentio premis: mutationem enim regni, mortemque principis „hoc portento monstrari dicunt. Cumque ego testimonium prophetæ in „medium protulissem, quo dicitur, *A signis cœli ne timueritis, quæ pavent* „*gentes*: ille solitâ usus magnanimitate & prudentiâ: Non alium, inquit, „timere debemus præter illum, qui noster & hujus sideris creator est. Sed „ejus clementiam non satis laudare & imitari possumus, qui nostram iner„tiam, cum simus peccatores & impœnitentes, talibus indiciis dignatur ad„monere. Quia ergo & me & omnes communiter hoc ostentum tangit: „omnes pro posse & sapere ad meliora festinemus, ne forte misericordiam „illo prorogante, & nostrâ pœnitudine impediente, nos illâ inveniamur „indigni. Dictum hoc *Ludovici* de *Deo* Cometæ conditore ad conspectum Cometæ timendo citant & laudant præter *Baronium*, *Serrarium*, ex nostris *Lavaterus* in *catalogo Cometar.*, *Keckermannus in dispp. in dispp. physicis*, *Alstedus in theol. naturali part.2. cap.13. p. 361. Vossius loco cit.* qui dicto huic Ludovici de Cometâ apprimè à se laudato his verbis ibidem pag.770. accedit: *Hujusmodi nos rapere debent in admirationem maximi numinis Cometas condentis. Sed cœcas gentes, quæ quidem eo usque in Naturæ arcanis penetrarent, compellere potuerunt ad cultum creaturæ præstandum.* Et paulo post: *Nec tamen inde sequitur* Cometas *intellectu præditos esse, sed esse numen, quod per eos mortale genus ad pœnitentiam vocet.* Pag.771. relatâ sententiâ, & secutâ devotione cum eleemosynarum largitione Ludovici, occasione conspecti Cometæ, præstitâ; subjicit: *Atque is finis ad pietatem, æternamque hominis salutem facit.*

Petrus Molineus celeberrimus theologus, qui olim philosophiæ professione in Academiâ Lugd. Batavâ magnâ cum laude functus erat, in tract. suo tit. *Vates* anno 1640. edito, lib. 3. cap. 7. post refutatas vanitates astrologicas, de Cometis, & metu ex eorum apparitione concepto sic scribit: *Non est tamen negandum* διοσημίας, id est, *ostenta divina, & cœlestia vel aëria ostenta, sæpe fuisse prænuntia calamitatum*, &c. *Nec est quisquam, nisi cujus animus ab religionem (*legendum, *ad) plane obbrutuit, qui ad fulmina & fragorem tonitruum, aut cruenti Cometæ aspectum non tangatur metu.* Pag. sequ. 62. *Nec desunt qui insultent cœlestibus ostentis, aut ea per jocum detorqueant.* Quod probat ibid. exemplo Vespasiani: & alterius cujusdam, qui Cometen *sibi infaustum querebatur, quod ad ejus contemplationem, intempestâ nocte, frigore collecto, raucedinem contraxisset.* Zanchius part. 1. de oper. creat. lib. 3. cap. 3. *Cometæ Christianis piisque hominibus metuendi non*

 sunt;

sunt ; sed ex illis potius ad veram pœnitentiam fidemque in Jesum Christum animari debent. Cometæ enim sicut sunt ceu feciales Dei, adversus impios ; sic præcones sunt ejusdem apud pios ; quibus eos ad veram resipiscentiam & fidem hortatur.

Martyris verba ex epist. ad *Lavaterum* supra cap. 3. exhibuimus : quæ ibi legenda.

Alstedus part. 2. theol. Natur. cap. 13. *Meteora ignita sunt voces & faces Dei è cœlo concionantis*, &c. *Non igitur contemnamus, vel derideamus hos Dei prænuntios. Neque imitemur Vespasianum Imperatorem*, &c. Imitemur itaque Ludovicum I. *Imperatorem Caroli M. filium*, &c. Ibid. §. 2. *Meteora ignita sic contemplari debemus ut statuamus illa esse specula clementiæ & iræ divinæ. Clementiæ quidem : quia ut diximus modo, Deus usque adeo nos amat, ut antequam puniat, prænuntios nobis mittat*, &c. *Deinde sunt specula iræ Dei, qui nobiscum loquitur non modo humanâ linguâ per Prophetas, & Apostolos, sed nonnunquam etiam ipsis elementis in formas & imagines diversas, ad hominum terrorem compositis.*

Accedat Seneca, quem nonnulli forte citius audient quam theologos ex sacris literis aliquid allegantes. *Nemo*, inquit, lib. 7. Natur. quæst. cap. 1., *usque adeo tardus, hebes, & demissus in terram est, ut ad divina non erigatur, ac totâ mente consurgat, imprimisque ubi novum aliquodè cœlo miraculum fulsit.*

Atque hactenus de timore & ἀφοβίᾳ ad conspectum Cometæ. Considetanda nunc quæ adversus ista objiciuntur.

I. *Object.* Ex Jerem. 10. v. 2. *Viam gentium ne discatis, & à signis cœli ne metuatis, sed metuant gentes ab eis. Quia statuta populorum vanitas sunt; quia lignum de sylvâ præcidit*, &c. Ad quod respondemus, capite isto præmoneri Israëlitas contra vanas ac superstitiosas divinationes, eique annexam idololatriam Chaldæorum & vicinarum gentium : uti constat ex v. 3. *Quia statuta populorum vanitas sunt, quia lignum de sylvâ præcidit, opus manuum artificis asciâ: Argento & auro decoravit illud, clavis & malleis consortaverunt illud*, &c. *Ne timeatis ab eo, quia non malefaciet; & etiam benefaciendi non est in eo facultas*, &c. Vanum ergo est quodcunque ab idolis hoc est dæmoniis, per idola illa, aliaque signa ex cœlo nuntiabatur, aut putabatur nuntiari, & vanus timor ac cultus omnis, qui idolis ad conspecta aut audita talia signa impendebatur. Quæ autem fuerint Chaldæorum & Syrorum divinationes ex stellis (quæ *signa cœli* in textu citato dicuntur), & quæ ipsorum superstitiones idololatricæ, ex sacris literis cum historiâ profanâ collatis cognosci poterit : & manuductio hac in parte data fuit à clariss. Seldeno in syntagmate de Diis Syris. Designari autem in textu cita-

to Chaldæorum divinationes ex signis cœli, & connexam idololatriam colligimus ex v. 11. Ubi dialecto Chaldaicâ, pronuntiatur contra illorum superstitionem & idololatriam: *Dii qui non fecerunt cœlum & terram*, &c. Ex Rabbinis R. Sel. Jarchi in commentar. ad locum putat fuisse epistolam, *quam Jeremias miserit ad Judeos in Babel translatos, ut Chaldaicè aut Syriacè* (ארמ׳ת) *ita responderent Chaldæis, si dicerent ipsis ut servirent idolis.* R. David Kimchi: *Hoc dictum Domini Jeremias misit versus Babel filiis captivitatis, ut illud responderent Chaldæis, quando dicerent ipsis, ut servirent Diis ipsorum.* Nec frustra præmonuit ipsos Deus per prophetam, quia Gentium statutis & superstitionibus illis admodum dediti erant Judęi, uti colligitur ex Jerem. 7. v. 18. 19. 1 Reg. 21. v. 2.-8. Et Jesa. 2. v. 6. 7. 8. *Superstitione repleti sunt præ Oriente* (hoc est præ Aramæis, qui sunt ipsis ad Orientem), *& augures fuerunt sicut Pelistim, & in scientiis alienis fuerunt sufficientes*, &c. *& repleta est terra ejus idolis, operi manuum suarum incurvaverunt se*, &c. Judæi post captivitatem Babylonicam, ut & post plenam apostasiam suam, quamvis ab externâ & crassâ illâ imaginum idololatriâ abstinuerint, superstitiosis tamen divinationibus, amuletis, carminibus, exorcismis, incantationibus nunquam non addicti fuerunt. De superstitionibus & operationibus magicis, ut Fl. Josephum nunc prætereeam, vel unus Maymonides fidem faciet ad Sanhedrim cap. 2. *Seniorem*, inquit, *in Sanhedrim electum oportebat esse datum artibus astrologuum, præstigiatorum, divinantium, veneficorum*, &c. *ut de iis reos judicare posset.* De divinationibus astrologicis Targum in Eccles. 9. v. 2. *Omne ex sideribus* (מזליא *massalaia*, id est, signis aut influentiis cœlestibus, aut planetis) *pendet, ex cœlo decretum est, quod futurum est, ut fiat omnibus.* Hinc apud Rabbinos מזל ביש *massal bisch*, id est, *mala fortuna, mala constellatio*, Gentilem & Judaicam opinionem expressit Manilius, sic inchoans suum astronomicon:

> *Carmine divinas artes, & conscia fati*
> *Sidera, diversos hominum variantia casus,*
> *Cœlestis rationis opus, deducere mundo*
> *Aggredior* --------

Ad quos versus vide notas Scaligeri. Constat ergo tales Syrorum & Chaldæorum Gentilium superstitiones istic atque alibi, cum timore idolorum & idolicorum sive signorum sive effectuum prohiberi: uti Jesa. 47. v. 3.-17. *Descende & sede super pulverem filia Babel*, &c. *Ipsa mala venient super te propter multitudinem maleficiorum tuorum, propter fortitudinem incantatorum tuorum vehementem*, &c. *Sta nunc cum incantationibus, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tuâ*, &c.

Stent nunc & servent te speculantes cœlum, qui contemplantur stellas, cognoscere faciunt menses; ab iis quæ ventura sunt super te. Quę omnia Cometis, uti cum connexis astrorum conjunctionibus, aspectibus, collisionibus, propriisque suis apparentiis, sitibus, motibus in aut sub aliquo sydere observantur, ad singularium eventuum divinationes; libenter applicari patimur. Minime tamen apud Jeremiam, aut alibi in scriptura timorem veri Dei, occasione operum & signorum ab illo editorum prohiberi putamus: sed contra eodem illo capite, quod objicitur, sed non inspectum aut nimis oscitanter lectum, pręcipi dicimus. Sic enim v. 6. 7. *Non est sicut tu Domine. Magnus es, & magnum tuum in fortitudine. Quis non timebit te rex Gentium? Quia tibi convenit regnum, quia inter omnes sapientes Gentium, & inter omnia regna eorum, non est sicut tu. Et simul desipient & stultè agent, eruditio vanitatum lignum est.* Occasionem & rationem timoris assignat propheta admiranda Dei opera tum insolita tum solita v. 10. - 17. *Dominus autem Deus veritas est, Deus vivens & rex æternus. Ab irâ ejus contremiscet terra, & non sustinebunt Gentes iram ejus*, &c. *Dominus Deus est qui fecit terram potentiâ suâ, qui stabilivit orbem sapientiâ suâ, & prudentiâ extendit cœlos. Qui voce suâ dat multitudinem aquarum in cœlo,* Simili ratione ad peccatorum detestationem & resipiscentiam moveri videmus populum Israel Amos 4. v. 12. 13. *Quapropter sic faciam tibi, præpara te in occursum Dei tui Israël. Quia ecce qui formavit montes, & creavit ventum, & annuntiavit homini quod opus ejus, qui fecit auroram & tenebras, & qui graditur super excelsa terræ Dominus Deus exercituum nomen ejus.* Adde & Psal. 18. v. 7.-16. *Movit se & contremuit terra, & fundamenta montium moverunt se, quoniam iratus est*, &c. *& tonavit in cœlis Dominus, & altissimus dedit vocem suam*, &c. *& misit sagittas suas*, &c. *& apparuerunt profunda aquarum, & discooperta sunt fundamenta orbis, propter increpationem tuam Domine, propter flatum venti iræ tuæ.* Si terræ-motus aliaque naturæ miracula & portenta metum incutiunt, & ad Dei timorem nos impellunt, quidni signa in cœlo (inter quæ Cometæ) quæ exsertè φοβητρὰ, id est, *terriculamenta* seu *territamenta* appellantur Luc. 21. v. 11. *Et signa magna* Ibid. v. 11. Ad quæ tanquam malorum præambula ac prognostica attendere licet, haut aliter ac in naturalibus & Oeconomicis ad signa serenitatis aut tempestatum Math. 16. & Luc. 12. & 21. *Videte ficum, & omnes arbores, cum proruperint jam gemmas, cernentes ex vobis ipsis scitis, quod prope sit æstas; ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quod prope sit regnum Dei. Amen dico vobis, non præteribit ætas hæc, donec omnia facta fuerint.* Luc. 21. v. 32.

Constat ergo pium timorem à prognosticis Cometarum aliorumque signorum & portentorum in cœlo aut in terrâ *Jerem.* 10. non prohiberi: sed super-

ſuperſtitioſum, idololatricum, magicum, Gentilem, à vanis, aut per dæmonas fabricatis cœlorum ſignis. Nihil aliud vel quibuſvis adhibitis fidiculis, extorquebis. Adeo ut temerè & imperitè admodum hic textus ἀβαπτίστως, ex aliis antehac allegatus, huic negotio conficiendo adhibeatur, quamvis forte non lectus non relectus. *Georgius Abotus* in eruditis ſex prælectionibus, prælect. ad *Judic 5. v.20.* pag. 114. & ſeqq. rectè notat hoc textu non prohiberi inſignem ſcientiam aſtronomicam, & obſervationem atque uſum ſignorum cœli.

II. *Object.* Timenda potius peccata noſtra, ingratitudo noſtra; quæ iram Dei provocant, & ſecutura ſerius aut citius judicia Dei minantur. *Reſp.* Acceſſorium non tollit principale. Verbum Dei impœnitentibus peccatoribus plagas denuntians timendum eſt, Jeſa. 66. v. 2. Nihilominus timendum etiam verbum in libro naturæ & communi experientiâ prędicans, *accipe redde, fuge*; Et *Raro antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.* Et, *Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.* Et, ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Et, *virum malum vel mus mordeat.* Et, *Dii laneos habent pedes.* Et, *Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia juſtis.* Et, An te genitor cum fulmina torques, Nequidquam horremus, &c. Ut mittam nunc theologiam mythologicam de Nemeſi, Aſtreâ, Rhadamanto, Erynnibus. Huic naturali & experimentali theologiæ Apoſtolus teſtimonium perhibet Rom. 1. v. ult. *Qui* (Gentiles ſcil.) *Dei jure agnito, quod qui talia faciunt, digni ſunt morte*, &c. Cum autem inſolita portenta, & inter ea Cometæ juxta verbi divini & experientiæ dictamen magnarum calamitatum aut mutationum in rebus humanis plerumque ſint ſigna, aut comminationes, commonitiones, claſſica pœnitentalia, ad mala prævenienda & à nobis avertenda: quidni ad conſpecta ejuſmodi portenta, Deum timeant, peccata ſua timeant, quotquot in timore & tremore ſalutem ſuam operantur? Theologus qui quidem ſibi & non tantum aliis, ad Deum ſuum ventrem colendum, aut ad oſtentationem, aut ad contentionem theologus eſt, non culpabit conciones pœnitentiales, aut ſcripta & claſſica pœnitentialia, quæ ſive λόγοις ſuis ſive πάθεσι talium ſignorum indicia admiſceant. Nec piorum idiotarum excitatam per inſolita hæc Dei opera devotionem, & viarum ſuarum conſiderationem, facile quis ridebit, niſi Epicuri & Luciani ſpiritu afflatus. Proſtitit ab anno 1605. ſine cenſurâ ſine opprobrio *claſſicum pœnitentiale* Thomæ Kingesmilli Hebraicæ linguæ in Acad. Oxonienſi Profeſſoris, Sereniſſ Magnę Britanniæ Regi Jacobo dedicatum: cujus non ignobilem partem facit territamentum terræmotus anno 1579. Sic enim pag. 31. 32.

„ Quare ut fami, peſti, bellis, fera in veteri, ſic terræ motus in novo Te-
„ ſtamento ſuccedit; de qua graviſſima quidem illa Dei ultione dum pauca

„ intertexantur, ne quis miretur aut gravetur. Terræ-motum Anno Dom. „ 1579. usque ad tremefactionem hominum & rerum inanimatarum con„ cussionem & sensimus, & horruimus. Sine modò, si terræ motum terræ „ metum dixerim. Nam hic motus urbibus, oppidis, villis, ædibus (ut ne „ dicam, Angliæ) metum modo incussit, rem ipsam non intulit. Quando„ quidem vero terræ motus divinam potentiam & utcunque præsentiam „ ineffabiliter demonstrat, adeoque inter cætera prodigia commonet & „ commovet; peto à facilitate tua (Christiane lector) ut errorem meum „ minus diuturnum existimet, si animi aut verius animæ causa ex re de re „ omnium formidolosissima diutius differam. Inter cætera ficus germina „ non vulgare est terræ motus. *Dabo* (inquit dominus) *Prodigia à cœlo sur„ sum & in terra deorsum.* Ecce duplicia prodigia quæ à cœlis vel quæ in „ terris patebunt. *Et paulo post:* Et quoties quatit modo terra adeoque „ cum homines, tum animantes & res creatę vacillent, modo non corruant. „ Cujus speciei jam & hæc nostra concussio sit quæ ante proximos hos an„ nos accidit. Quoniam vero sunt inimicitiæ ante pugnam, scintillæ ante „ ignem, nubes ante pluviam. (Nam & quæ pręmonent præmuniunt) reli„ quum est ut noster metus, qui in admonitionem Anglię non irreligiosè „ quasi redivivus citatur, præcursor & monitor sit terræ motuum, qui sub „ adventum domini sunt futuri. In quibus terram dehiscere aperire os suum „ & omnia deglubere sine ulla cunctatione creditur. Periit per clementiam „ Dei in communi periculo unus aut item alter, labefactata sunt sed non in „ ruinam, templa, tecta, mænia, strata adeoque utensilia omnia. Minatur hæc „ tremefactio, quæ animata & inanimata complexa est, terrę-motus ma„ gnos, grandia & gravia appropinquationis domini testimonia, quę eo sunt „ tristiora, quo clarius est non aliunde quam à domini manu terram aperire „ os suum.

III. *Object.* Nimis trepidant, nimis tumultuantur homines, &c. *Resp.* Nescio de quibus hoc dicatur. Verè pii, quotiescunque se recolligunt ad unum timendum, ejusque offensionem per peccata, rectè explicato atque applicato Stoicorum paradoxo *Nihil timere*, haut gravatè accedunt. Audiant philosophiam Boëthii lib. I.

Gaudia pelle,
Pelle timorem;
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.
Nubila mens est,
Vinctaque frenis,
Hæc ubi regnant.

Invicta

Invicta veritas de timore cum ἀφοβίᾳ commiscendo, ex ipso adversarii pectore erumpebat, cum concederet Epicurus, *initium salutis esse notitiam peccati* : apud Senecam epist. 26. qui de suo auream hanc sententiam ibidem depromit: *Deprehendas te oportet, antequam emendes. Qui peccare se nescit, corrigi non vult.* Atqui ubi peccatum, ibi timor, ibi dolor, ibi odium : quandoquidem & opera sua verentur justi *Job 9. v. 6.* Quid autem non timendum, de quo non gaudendum, de quo ad non dolendum, quid non sperandum, docuit ad loc. cit. commentarius in Boëthium, qui communiter *Aquinati* adscribitur. Sed hæc vulgata & notissima sunt. Nos supra satis superque timorem explicuimus. Quod ad improbos, homines de hoc mundo, personatos hypocritas, pietatis securos, timore Dei vacuos, diem malum longè à se removentes, (quorum characteres vide *Amos 6. Psal. 14.* & *17.* & *26.* & *94.*); quin & ipsos protervos Diagoras, Epicuros, Lucianos, Rablęsios, Vaninos, totamque Neo-Saduceorum & spirituum fortium turbam: iis ego horrescere, consternari, plorare, desperare (nisi resipiscant) non tam jubeo, quam cum divino Psalte Psal. 11. v. 6. 7. denuntio: *Pluet super impios laqueos, ignem, & sulphur, & spiritum procellarum, partem calicis eorum. Quoniam justus Dominus*, &c. Quibus adjunge verba Servatoris nostri Luc. 21. v. 8. *Et erunt signa in sole, & lunâ, & stellis, & in terris coartatio gentium in perplexitate; resonante mari, & fluctu, arescentibus hominibus* (nota) *præ timore & exspectatione eorum, quæ supervenient orbi terrarum.*

Si qui ad instar *Gasparis Schioppii* lectionem Plauti in juventute suâ lectioni verbi divini præferentis (teste anonymo vitæ ipsius scriptore cum satyrâ Menippeâ tit. *Munsterus hypobolimæus*, edito) Suëtonium quam scripturam (*Danielis 5.*) inspicere malint spiritus fortes, videbunt ibi in Caligula turbulentum & ecstaticum timorem, in mediâ ἀφοβίας professione. Sic Suëtonius cap. 51. *Non immerito mentis valetudini attribuerim diversissima in eodem vitia, summam confidentiam, & contra nimium metum. Nam qui Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua & fulgura connivere & caput obvolvere, ad vero majora proripere se è strato, sub lectumque condere solebat.*

Sed ne ultra quietis in Zion & fidentibus monti Someron (*Amos 6. v. 1.*) feralis nuntii Michæ aut tortoris *Apocal. 11. v. 10.* cum duobus illis testibus, vice fungi, atque adeo inter turbones & turbulentos classicum de cœlo canentes, coërcendus videar; dimittam eos verbis Tertulliani ad Scapulam cap. 3. & 4. Ubi portentis & judiciis quibusdam Dei in hostes Christianæ pietatis allatis sic affatur Scapulam : *Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cum Adrumeticum Mavilum ad bestias damnasses,*

mnaßes, & ſtatim hæc vexatio ſubſecuta eſt, & nunc in eâdem causâ interpellatio ſanguinis. Sed memento de cætero. Non te terremus, qui nec timemus: ſed velim ut omnes ſalvos facere poſſimus monendo, μὴ θεομαχεῖν.

CAP. V.

Univerſali populorum, & ſapientum conſenſu confirmatur ſententia de prognoſticis Cometarum.

VIncentius Lyrinenſis in Commonitorio τὸ catholicum deſcribit, *Quod omnes, quod ubique, quod ſemper.* Scriptores de veritate religionis Chriſtianæ contra Atheos aliosque infideles, univerſalem Gentium, populorum, philoſophorum, politicorum, & quorumcunque ſapientum conſenſum appellant: non quidem ſingula ſingulorum ſuffragia numerando; quod impoſſibile eſt (ſingularia enim ſunt infinita; & infinitum pertranſiri nequit): ſed ſelectiora quædam exhibendo, cum uſitatâ inductionis formulâ & clauſula: *Nec poteſt dari diſſimile exemplum.* Nam pauculi illis Diagoras, Theodorus, &c. (ſi verum ſit, quod de iis dicitur; de quo alibi diſquiritur) non tam homines ſapientes, quam monſtra hominum, & portenta inſipientiæ, aut deſperatæ malitiæ, nullo numero habentur. Nos univerſalem conſenſum cum hic obtendimus, putabimus nos vadimonium non deſeruiſſe, ſi ex omni ordine ſapientum aliquos ſaltem ex celebrioribus, aut ex iis qui in literatorum manibus verſantur adduxerimus: lectori curâ, plures alios cujuſcunque ordinis inſpiciendi & conferendi, relictâ. Probè novi viro veritatis ſtudioſo apud veritatis ſtudioſos rationibus agendum eſſe, non autoritatibus: quia tamen in ea calamitoſa tempora incidimus, quibus in theologiâ aut philoſophiâ paradoxi novatores, & neo-Sceptici omnibus de communi Chriſtianarum & reformatarum Academiarum ſententiâ limites bene poſitos tuentibus dicam τοῦ ἀτόπου, τοῦ ξένου, τῆς Καινοφωνίας, apud imperitos aut morphoticos literatos, aut paucorum librorum cognitores, ſcribere audent: moleſtia hæc mihi devoranda fuit, in aliquorum autorum verbis exſcribendis, aliorum nominibus & libris ſolummodo indicandis.

In primâ ergo fronte colloco, polyiſtora Voſſium, plurimis ſcriptis celeberrimum, & Iſaacium Pontanum in omni philoſophiâ & matheſi, quam in illuſtri gymnaſio Harderoviceno multis annis profeſſus eſt, nec non in utraque literaturâ, antiquitatibus & hiſtoriis verſatiſſimum, regni Daniæ & ducatus Geldriæ hiſtoriographum; de quo ſcripta ejus teſtantur.

Ille in eximio & arduo opere de idololatriâ Gentilium lib. 3. cap. 3. contra

tra à nonnullis opposita duo Cometarum exempla tempore Augusti & Neronis, asserit : *Sed potius rei tristis esse nuntios, omnium ostendit temporum historia.*

Iste in collegii physici disp. 10. quæ est de Cometis, Harderovici propositâ a. 1636. Resp. Bernardo à Laer probl. 4. *Cœlestium horum corporum cum insolita ac rara sit apparitio, ea etiam aliquid portendere, si non ut causas, saltem ut signa omnino statuendum est. Et hoc ita esse omnium sæculorum observatione constat.* Et paulo post: „Quin & nostrum hoc sæculum si videamus, quantæ „secutæ sunt rerum vicissitudines lernaque malorum Cometam eum, qui „superioribus annis (*a. scil.* 1618.) observatus omnibus ac visus, paulo ante „eam, quæ nobis adhuc in oculis cordolioque est, Germaniæ vastationem. „Ita quoque olim vir clarissimus *Cornelius Gemma*, mathematicus quon„dam Lovaniensis, istam, quæ primos Belgicæ motus ac mala præcessit, „stellam novam anni 1572. &, qui eam statim excepit, anni 1577. Come„tam, horum prænuncios & veluti feciales fuisse haud vanè auguratus est „libro suo 2. Cosmocriticæ. Quamvis confutare eum quodammodo velit „nobilissimus aliàs ille, quem & modò nominavi, *Brahæorum* apud Danos „*Tycho*, ubi de eadem stellâ agit Progym. lib. 1. hæc scribens: Indulgere hîc „affectibus nonnihil videtur Gemma, cum stellam hanc toti mundo osten„sam, in Belgicos motus trahat; acsi nihil in mundo sit, vel agendum re„stet, quam quæ illic tumultuosè agitantur. At verò tacuisse hîc, nec à tan„to viro φοϱτικόν istud prolatum, oppidò voluissem. Nam sane, quæ tum si„mul incidit, Parisiana laniena & Belgicum hoc bellum, ecquas non Gal„liæ tantum ac Belgio, sed toti Europæ, sive sacra sive prophana videamus „mutationes intulerit, testari rerum memorię poterunt. Et ut vir quispiam „summus ad hominem in terris summum de Belgio scripsit, exiguus qui„dem, sed potens & magni in omnes partes momenti hic angulus terrarum „est: Et ut erit hîc facies rerum, ita & in pleràque finitimâ Europâ erit. „Sed ut notandus, ita vicissim excusandus hîc Tycho, qui de loco, situ, ac „magnitudine stellę, quod Astronomi est, præcipue sollicitus, indignatus „quasi Gemmam fuit, hunc etiam in censum Astrologica, vel, ut propius „dicam, prognostica adducentem.

His proximè adjungo philosophos, medicos, mathematicos quorum aliquos compendii causâ, solum indico, sed bonâ fide: quod experientur illi qui eosdem, aut aliquos ex iis inspicere dignati fuerint. Sunt autem isti qui nunc mihi ad manum sunt, & quos de novo nunc contuli, ac relegi; Barthol. Anglicus de proprietatibus rerum lib. 8. c. 32. Thomas Bricot in comentar. ad meteorolog. Aristotelis; itemque Conimbricenses; Garcæus, & Froymundus in suis meteorologicis; Savonorola, Titelmannus, Melan-

thon, Magyrus, Lieblerus, Goclenius, Sennertus, Gutberlethus, Johannes Rodolphus Faber, Eustachius de S. Paulo, Nollius, Sperlingerus, Isendornius, Senguardius in suis physicis; insuper Cardanus lib 4. de subtilit. & lib. 1. de rerum varietate cap. 1. Peucerus in libris de divinationum generibus, & in chronico; Joach. Camerarius in tract. de ostentis pag. 280. Cornelius Gemma lib. 1. de divinis naturæ characterismis cap. 8. Keckermannus in systemate & in dispp. physicis; Veno philosophus Franequeranus in dispp. physicis, propositis anno 1604. Alstedus in physicâ harmonicâ, encyclopædiâ, & theologiâ naturali; Jonstonus in Thaumatographiâ; Petrus Gregor. Tholosanus in Syntaxi artis mirabilis lib. 35. cap. 24. Idem in Politicâ lib. 21. cap. 6.

Præluxerunt ipsis ex antiquis Seneca lib. 7. quæst. Natural. cap. 7. & 26. Plinius lib. 2. c. 28. Cicero lib. 2. Naturâ Deorum. *Ab ultimâ antiquitatis memoriâ notatum est, Cometas semper malorum prænuntios fuisse.* Adducamus nunc testimonia aliquot astromorum, qui Cometas suo tempore visos accuratè observârunt & aliorum ac prædecessorum observationes studiosè legere ac conferre solent. Inter quos primus sit Appianus, qui (cit. Sperlingero) ait, *experientiam docere, conspectos semper peculiares & tristes effectus subsecutos; quemadmodum ex multis historicis & astrologorum libris & observationibus videre est.* Sequitur Jacobus Milichius Medicus & professor mathesios Wittebergensis in commentar. ad Plinii lib. 2. a. 1563. c. 25. *cum igitur omnium ætatum observatione compertum sit, Cometas minari tristes eventus, rectè in causâ finali hæc significatio recensetur. Et scitè veterem Græcum versiculum mutavit Joach. Camerarius* οὐδεὶς Κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει. Ibid. pag. sequ. 199. *Eo etiam libentius in hac disputatione commoratus sum, ut adolescentes sciant Cometas non frustra apparere, sed ut res magnas denuntient, ut admoniti mitigare eas studeamus. Barbaries quædam est, hujusmodi signa, quæ & physicas aliquas causas habent, & bonorum ac prudentum judiciis comprobata sunt, temere aspernari. Quæ quidem ita sunt consideranda, non ut eximant animis pietatem, sed ut rectam & piam de Deo sententiam in nobis confirment; ut divinitus ordinata esse quædam signa judicemus, quæ nos admoneant, ut à Deo opem imploremus.* Ibid. pag. 186. *Est autem bene instituti animi ea quæ doctissimi homines longâ observatione comperta tradiderunt non aspernari: nam inepti, qui fastiditis eruditorum & prudentum judiciis, nova quærunt sine solidis rationibus aut observatione aliquâ, fingunt ex sese ridiculas & absurdas opiniones, interdum etiam perniciosas moribus,* &c. *Peucerum, Gemmam, Isac. Pontanum* mathematicos & observatores Cometarum, sed graviter & piè de iis philosophantes ac θεολογοῦντας, supra adduximus.

Philippus Lansbergius in poëmate anno 1607. mihi lecto, Cometæ istius

cœ-

cœleste nuntium & monitorium (juxta communem sententiam) cecinisse memini: sed verborum, quippe semel atque iterum forte lectorum, memoriam non retinui, nisi duorum postremorum versuum; quos supra exhibui. Adde *Davidem Christiani* mathesios in Academiâ Giessenâ, ibidem extraordinarium theologiæ professorem, qui in tract physico-astronomico-historico de Cometis anno 1653. in præfat. „Quis enim, inquit, in historiâ „tam hospes est, qui nesciat minaciter satis & frequenter cœlestium opifi- „cem Deum opt. max. sub effœti hujus mundi finem cœlestia portenta, „eclipses luminarium, solis & lunæ horrendas, conjunctiones magnas & „ac tericas superiorum planetarum formidabiles, novas τερατώδεις stellas, „Cometas stupendos & ferales, multiplicatos soles aliaque ostenta & asci- „titia phænomena, in cœlo effulgere voluisse, quę nonnihil præter con- „suetam naturæ legem portendunt, & singulari numinis providentiâ ac „dispensatione in hâc mundanâ œconomiâ, antequam evenerit, insinuant, „hominesque ad veram pœnitentiam adhortantur, ne quispiam ἀναπολόγη- „τος reperiatur. *Ibid. pag.* 5. Hic in utramvis aurem otiosè dormitare, & „securè velut stertere, stuporis est extremi, hominis pro quam Epicurȩi, Cy- „clopico furore prorsus dementati, & præ immensâ insaniâ nihil sentientis „amplius. Quapropter cum hæc ita se habeant, nec à cordato facile negari „possint, quis dubitabit, etiam nunc aliquid nobis peculiari portendi, no- „vi hujus phænomeni & Cometæ exortu, qui nobis superiori (1632.) „illuxit.

Plures astronomos diligentes istorum signorum observatores adducerem: sed quia non pauci eorum meditationes suas ad alia quędam ulterius extendunt, in quibus nec nostra theologia eique ancillans sana ac sobria philosophia, ut nec *Libavius*, cujus declamationem recusam hic exhibemus, certitudinem hactenus invenire potuit; hâc vice citandis & exscribendis illis supersedebo. *Dominus de Chavigny* linguâ gallicâ anno 1606. edebat *Pleiadas*, hoc est, septem libros variorum autorum vaticinia continentes; quibus subjungebat Discursum paræneticum super rebus Turcicis, & tractatum de Cometâ anni 1604. ubi apologiam suscipit contra illos qui ajunt Cometas nihil esse, nec ullam eorum significationem. Quod autem ad divinationes ille se trahi passus est, & figuram cœlestem super nativitate istius Cometæ anni 1604. ibidem p. 100. erigit ac depingit, ipsi relinquimus:

Nunc tali auxilio, nec defensoribus illis
Tempus eget.

Secundam testium classem constituunt Poëtæ; qui antiquorum Gentilium philosophi, & theologi habebantur, & communi nomine vates dicebantur.

Virgilius Georgic. 1. calamitates ſuorum temporum & ſigna ac prodigia earum deſcribens, de Cometis canit:

Non alias cœlo ceciderunt plura ſereno
Fulgura, nec diri toties arſere Cometæ

Idem Æneid. 10.

Non ſecus ac liquidâ ſi quando nocte Cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor.
Ille ſitim morboſque ferens mortalibus ægris
Naſcitur, & lævo contriſtat lumine cœlum.

Silius Italicus lib. 1.

Crine ut flammifero terret fera regna Cometes
Sanguineum ſpargens ignem, vomit atra rubentes
Fax cœlo radios & ſævâ luce coruſcum
Scintillat ſidus, terriſque extrema minatur.

Idem lib. 8.

-------- non unus crine coruſco
Regnorum everſor tribuit letale Cometes.

Lucanus lib. 1. de bello Pharſal.

-------- crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna Cometen.

Manilius lib. 1. Aſtronom.

Talia ſignificant lucentes ſæpe Cometæ.
Funera cum facibus veniunt, terriſque minantur
Ardentes ſine fine rogos, cum mundus & ipſa
Ægrotet natura novum ſortita ſepulcrum
Quin & bella canunt, ignes, ſubitoſque tumultus.
Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma.

Seneca in Octaviâ, aut quiſquis eſt autor iſtius tragœdiæ,

-------- vidimus cœlo jubar
Ardens Cometam pandere infeſtam facem,

Statius Papinius 1. Thebaid.

-------- mutent quæ ſceptræ Cometæ

Valerius Flaccus Argonautic. lib. 5.

Interea auguriis, monſtriſque minacibus urbem
Territat antemonens ſemper Deus, & data ſævi
Signa mali.

Idem lib. 6.

Ab Jove fatales ad regna injuſta Cometæ.

Claudianus lib. 2. de raptu Proſerpinæ:

-------- augurium qualis laturus in orbem
Præceps ſanguineo delabitur igne Cometes
Prodigiale rubens, non illum navita tuto
Non impune vident populi; ſed crine minaci
Nuntiat aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes,
Et nunquam cœlo ſpectatum impune Cometen.

Ex recentioribus Jovianus Pontanus in Meteor. de Cometâ anni 1472. calamitatibus deſcriptis concludit,

Uſque adeo inſandam in rabiem fera ſævit Erynnis
Et dirus quatit in terras iacula aſpra Cometes.

Saluſtium Bartaſium celebrem Poëtam ſupra cap. 2. exhibuimus.

Michaël Neander in re Poëticâ Græcorum lib. 1. adducit hos verſus Homeri.

Λαμπρότατος γέ μὲν ἔστι κακὸν δέτε σῆμα τέτυκται
Καί τι φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι
Lucidiſſimus quidem eſt, verum malum ſignum ſeu portentum
Et fert multam ſebrem timidis hominibus.

Locum Homeri non indicat Neander: nec à feſtinante prœlo tempus inquirendi mihi conceditur. Agat hoc cui plus otii eſt. Interim verſus, qui Iliad. 4. non ita procul à principio, Poëtæ conſenſum ſatis indicant:

Οἷον δ' ἀστέρα ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Η ναύτῃσι τέρας, ἠὲ στρατῷ εὐρεϊ λαῶν,
Λαμπρὸν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται.
Qualem autem ſtellam miſit Saturni filius ſagacis
Aut nautis portentum, vel exercitui latè populorum,
Splendidam, ex eâ autem multæ ſcintillæ emittuntur.

Et Iliad. λ. ſeu lib. XI. paulo poſt principium:

Οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀνα φαίνεται οὔλιος ἀστὴρ,
Παμφαίνων
Qualis autem ex nubibus apparet pernitioſa ſtella
Lucens

Aratus interprete Grotio:

Nolim equidem gemini, pluresve, unusve Cometes,
Flammiſtrum ducat ſpatioſo limite crinem,
Ne ſitiat, &c.

Sibyllina oracula ſic dicta, non prætereo: quamvis mihi maximam partem hypobolimæa aut interpolata ſint (quod propediem ab eruditiſſ. & diligentiſſ. viro demonſtrabitur); aliquem tamen autorum iſtorum, quicunque ea fabricârint, conſenſum nobis ſuppeditant. lib. 3. Ἐν δὲ δύσει, &c. quæ Caſtalio ſic παραφράζει,

Sole sub occiduo vero vocitata Cometa
Stella relucebit, gladii mortalibus index,
Et famis & mortis, præclarorumque virorum,
Atque ducum interitus magnorum, nobiliumque:
Maxima præterea mortales signa monebunt.

Et lib. 8.

Sidera multa deinceps, splendentemque Cometam,
Appellant homines stellam mala significantem
Imminet ut multum bellum, vastatio, strages.

Belgicus 1. hebdom. Bartasii paraphrastes, generosus Baro Asperensis Wenceslaus van den Boetseler, Belgis suis canit

——— maer als den damp genaeckt
Het kouwe vriesend' huys / jae selfs daer boven raeckt
Ontsteeckts' haer selven oock / en als een nieuwe Sterre
Een aenstaend' ongeluck vertoont zy ons van verre.

Ronsardus decus Poëtarum Gallicorum (apud Dominum de Chavigny in tract. de Cometâ anni 1604. pag. 145.)

Certainement le ciel maire de la ruine
D'un Sceptre si puißant, en a monstré le signe,
Despuis un an entier n'a cessé de pleurer:
On a veu la Comete ardante demeurer
Droit sur nostre pais: & du ciel descendante
Tomber à Saint Germain une colomne ardante
*Nostre Prince (*Henry 2.*) au milieu de ses plaisirs est mort.*

Iterum audiatur Bartasius qui in die 2. hebdomad. 1. post recensita istorum temporum prodigia, de Cometa anni 1577. Galliæ suæ sic loquitur:

Quin ergo hortantis demens te Gallia cœli
Monstra movent? tete monitis feralibus urget,
Ad frugemque vocat: tene hoc, durissima, siccis
Prodigium usurpare oculis, quod lampade tristi
Assiduè in noctem, tremulos tibi ventilat ignes,
Ætheris horribili aspectu? stellæne comantis
Cæsariem ignivomam, & cirris ardentibus ingens
Proluvium irrides flammæ? Non dira tremiscis
Cœli signa gravis? quod pestem atque horrida Martis
Arma, famemque quatit, trifidæ tres cuspidis alas;
Cuspidis in populum sontem, quam magna Tonantis
Molitur manus, & certo jam destinat ictu.

Goulartius in commentar. ad hunc locum (in Gallico ad v. 820. pag. 177.)

Mi-

Miseria, inquit, *Galliæ eleganter descripta est.* Et *nullâ aliâ annotatione ad textum hunc opus est, quam consideratione status Galliæ his* 35. *annis. Cometa de quo loquitur est anni* 1577. &c. *iste fuit tanquam præsagium malorum, quæ postea evenerunt.*

Tertia classis testium sequitur, historicorum scil. Ubi facilius initium quam finem invenire queas. Cui enim non dictus Hylas? Inter omnes historicos & chronologos, quos antehac legi, aut nunc inspexi, nullum reperio, qui quidem Cometarum sui temporis meminit, sine apposito aliquo judicio aut saltem epitheto à denuntiatione malorum desumto, simpliciter ἱστορεῖν: excepto forte Cambdeno, qui part. 3. annalium ad ann. 1582. pag. 350. omnem crisin procul habere videtur, quamvis nolens volens aliquid dicat: *Cometam*, inquit, *mense Majo prope capellam conspectum*, &c. *& horrendam in Nortfolciâ tempestatem crebro fulmine, tonitru, impetuoso ventorum furore, & densissimâ grandine trium pollicum crassitudine, stellularum in calcaribus figurâ efferatam, satis sit vel verbo memorasse.* Idem part. 2. ad ann. 1580. pag. 314. Narrationi terræ-motus in Angliâ mox subjicit: *Motus vero subsecutus est in Pontificios per Angliam, sed ab ipsis excitatus.*

Inter historicos primus sit *Justinus*, qui anno, quo natus est & postea regnum iniit Mithridates Cometen portentosæ magnitudinis ac fulgoris bis per 70. fere dies apparuisse scribit: *qui proculdubio futuræ illius potentiæ pariter atque crudelitatis, quâ universum fere terrarum orbem turbavit atque vexavit, prænuntius fuit:* sunt verba Joh. Gul. Stuckii in scholiis ad Arriani periplum ponti Euxini pag. 36. Inter alia Alastoris illius, familiæ patriæ, & multorum regnorum malo nati & regnantis facinora, referuntur, quod in Asiâ uno nuntio atque unâ literarum significatione 80000. civium Romanorum nullâ sexus aut ætatis habitâ ratione trucidari curaverit. Quod idem *non tam homo* (sunt verba Stuckii pag. 38.) *quam fera quædam immanis, immo monstrum quoddam atque portentum (cujus duo illi Cometæ verissimi vates fuerunt) plurimis sese matris, fratris, uxorum atque concubinarum, trium filiorum, totidemque filiarum, ducum atque amicorum cædibus atque paricidiis contaminavit, bellis funestissimis*, &c. *universam Græciam, Asiam, orbem denique terrarum infestavit.* En Cometen faustum regni Mithridatici prænuntium; qualis Neronianus: de quo infra cap. 6.

Flavius Josephus, Eusebius, Orosius, Polybius, Diodorus Siculus, &c. supra pag. 28. 29. 30. citati sunt. Antiquorum ac mediorum sæculorum historicis addendi sunt Suëtonius in Tiberio Claudio cap. 46. *Præsagia mortis ejus fuerunt, exortus crinitæ stellæ*, &c. Quem Cometam Seneca lib. 7. natur. quæst. cap. 17. Claudianum à Neroniano distinguit, tanquam in diversum circumactum. Plinius lib. 2. cap. 25. de eodem hoc Cometâ: *terrificum magnâ*

gnâ ex parte ſidus in noſtro ævo circa veneficium , quo Claudius *Caſar Imperium reliquit Domitio Neroni , ac deinde principatui ejus aſſiduum ac ſævum.* Beroaldus in commentar. ad Suëtonii Neronem Claudium : *Sidus eſt terrificum, & præcedens regnorum everſiones.* Theod. Marcilius in notis ad Suëtonii Veſpaſianum cap. 22. *Principum mortes regnorumque converſiones portendere ſoliti Cometæ, ſive ſtellæ comatæ.* Dion Caſſius ſupra cap. 3. cit. Ammianus Marcellinus lib. 30. *ruinas fortunarum indicantia celſarum arſere crinita ſidera Cometarum.*

Tranſeo ad aliquot hiſtoricos eccleſiaſticos.

Philoſtorgius apud Photium in epitomâ lib. 12. cap. 8. deſcripta à ſe inſolitâ ſtellâ, anno 408. quam rationibus aliquot contendit non fuiſſe Cometam, cenſet, *& hoc ſignum fuiſſe multorum bellorum, hominumqne interitus incredibilis indicium.* Idem lib. 10. cap. 9. de alio quodam xiphoide aſtro, inſolito & inſueto in cœlis viſo pronuntiat , quod factum ſit nuntius magnorum malorum orbi futurorum μεγάλων κακῶν τῇ οἰκουμένῃ γενήσεσθαι ἄγγελος. De his inſolitis aſtris etiam Nicephorus : qui idem cum & ex Philoſtorgio lib. 10. cap. 11. & lib. 12. cap 12. de aliis prodigiis, ut terræ-motu & monſtris; & lib. 13. cap. 37. de Cometâ.

Socrates lib. 6. hiſtor. eccleſ. cap. 6. *Tam grave etiam imminebat periculum civitati* (Conſtantinopoli) *ut Cometa maximus à cœlo ad terram uſque pervadens (ſimilem vero antea nemo aliquando aſpexerat) illud ipſum portenderet.*

Sozomenus lib. 8. cap. 4. *Quo tempore & Cometa has inſidias portendebat, qui ſupra civitatem maximus apparuit,* &c.

Eutropius lib. 10. & ex eo ſcribit Baronius ad ann. 337. §. 7. prænuntiam Conſtantini obitus apparuiſſe in cœlo crinitam ſtellam, quæ inuſitatæ magnitudinis diu refulſit.

Theophanes, apud Baronium ad ann. 632. §. 1. *apparuiſſe ferunt in meridie Cometen gladii formam præ ſe ferentem Arabum (ut eventa declarârunt) invaleſcens imperium demonſtrantem.* Baronius ibid. de hoc Cometâ : *Quo tempore & ſigna in cœlo viſa ſunt minitantis iræ Dei , ejuſdemque pro Saracenis pugnantis adverſus deſertores catholicæ veritatis.*

Beda lib. 5. hiſt. eccleſ. c. 24. autor eſt, ſub tempus, quo horribile illud prœlium inter Abderamam Saracenum & Carolum Martellum in Turonum finibus commiſſum eſt, duos Cometas bis ſeptenis diebus fulſiſſe; alterum ſolem matutinum antecedentem, alterum veſpertinum ſubſequentem, face ignea Aquilonem ſpectantes.

Joh. de Beka de epiſcopis Ultrajectinis in Guidone epiſc. 32. *Anno Domini 1316. radioſus Cometes apparuit , mortifera peſtis inhorruit , & valida fames invaluit ,* &c. Arnoldus Buchelius JC. exercitatiſſ., in hiſtoriis atque anti-

antiquitatibus, si quisquam, versatissimus, idemque verę religionis & pietatis studio, nec non prudentiâ, candore, morum gravitate & integritate in hac urbe spectatiss. (cujus familiaritate & favore cum viveret, quod mihi annis aliquot frui datum sit, in magna parte felicitatis pono;) hoc lemma marginale historico apposuit: *Cometa, pestem portendit & famem.* Idem in notis subjectis accuratè, distinctè, & cautè sententiam suam de Cometis sic expromit: *Cometa ut plurimum nuntius mali adventuri, aut instantis, juxta illud:* Et terris mutantem regna Cometen. *At quamvis naturales ei causas tribuant, ut Puteanus libr. singulari eam in rem scripto: tamen sæpius mala secuta ingentia, observatione certissimâ cognovimus:* (ad venerandam senectutem jam pervenerat, cum hæc scriberet, præterquam quod vastæ lectionis esset.) *Exempla congessit in libellum olim Magyrus junior mathematicus, quo de Cometâ anni 1572. agit, cujus sequela fames acerrima, cum maximâ peste; quæ duo mala plerumque concurrunt, & à bello trahuntur.* Idem Beka in Aufrido Episc. 18. *notat Cometam grandem in modum trabis jugiter apparentem*, & bella & tumultus portendentem anno 1017. Ubi laudatus modo Buchelius annotat, Sigisbertum, Chronicon magnum, & ex nostratibus scriptoribus plerosque Cometæ illius meminisse.

Wilhelmus Heda in histor. episcop. Ultraject. in Davide episc. 55. *Anno 1472. in principio apparuit ingens Cometes, quem secutæ sunt fames, pestis, & bella continua ad plures annos.* Ubi Buchelius in notis: *Meminit hujus chronicon vulgare: & pleri que olim persuasum Cometas malorum instantium esse indices; Unde Lucanus vocat*, crinemque timendi sideris, &c. *Vide singularem eâ de re libellum Ambrosii Magyri: etiamsi Erycius Puteanus eam persuasionem ex animis mortalium evellere conatus sit libb. 2. editis.*

Wernerus Role Vinck Carthusianus in chronico, cujus tit. fasciculus temporum ad ann. 1279. *Cometa visus est signum malum, quod plurima secuta sunt afflictiva christianitatis.* Idem ad ann. 1472. Cometæ figurâ, colore, & motu descripto, ait *bella secuta esse & epidemias, æstatem ferventiss. siccitatem inauditam, & in quibusdam terris ignem sub terrâ succensum usque ad arenas.*

Hermannus Schedel in chronico ad ann. 814. 954. 1314. 1351. notat Cometas tanquam magnarum calamitatum *indicia*, apparuisse. Sigebertus Gemblacensis in chronico varios notat Cometas: ad ann. 541. diversa signa & prodigia in diversis Galliarum locis conspecta, & Cometen, secutas ait varias clades, quæ populos afflixerunt. Idem ad ann. 1110. *multis conjicientibus hoc signo* (Cometæ scil. radios dirigentis ad austrum) *portendi Regis Henrici quinti expeditionem, Italiam versus.*

Nauclerus Chronograph. vol. 2. generat. 21. in descriptione calamitatum

istius temporis fol. 576. *Tanto vero hoc tempore apparuerunt prodigia, quanta nunquam antea. nam & Cometes visus est perlucidus*, & Byzantii puer quadrupes nascitur, & apud Delon insulam duo humana monstra humana specie visa sunt. Recentiores aliquot advocemus, quos Gentilibus aut Pontificiis superstitionibus minimè assuetos aut deditos fuisse novimus.

Peucerus lib. 4. & 5. chronici aliquoties notat portenta & Cometas, tanquam signa prognostica.

Petrus Bizarus histor. Persicæ lib. 2. pag. 82. *Has ingentes totius Græciæ calamitates denuntiârunt eclipsis solis initio belli facta, quæ medio die tenebras fecit, adeo ut stellæ conspicerentur; & Cometa, qui arsit 60. diebus.* Idem lib. 4. pag. 151. *denuntiata mors ejus, etiam per crinitam stellam*, &c. Idem lib. 5. pag. 182. *Justino imperante quam plurima prodigia exstitere*, &c. & *rursum anno 27. Imperii ingens terræ-motus*, &c. & *insequenti anno facta sunt tonitrua & fulgura horrenda*, &c. *at tricesimo Imperatoris anno apparuit Cometa ardens*, &c. *Subsequenti anno factus est alius terræ-motus valde horribilis, qualem vix ulla ætas meminerat.* lib. 7. pag. 258. *hanc novorum hostium inopinatam irruptionem & Turcorum progressum antecessit Majo mense Cometa*, &c. *secutus postea 23. die Septembris terræ-motus valde horribilis.* Lib. 8. pag. 273. *Hæc autem prodigia* (Cometa, & solis obscuratio) *sive ostenta divinitus immissa, proculdubio irruptiones & progressiones in diversis orbis terrarum partibus subsecuta sunt*, &c. Ibid. pag. 276. Tartarorum in Europam irruptionem, &c. *antecessit anno 1211. Cometes, qui Majo mense totos dies octodecim arsit, & terribilem flammam sparsit. Ideo prorsus fatalem fuisse existimandum est.*

Chrstoph. Pezelius in mellificio historico part. 2. ubi de Mauritio Imperatore: *Antecesserunt hanc tristissimam ruinam familiæ ipsius prodigia & somnia. Conspectus est Cometes, qui ab astrologis in specie ξυφίας dicitur.*

Philippus Glaserus JC. & histor. in Acad. Argentinensi prof. in synopsi histor. universalis lib. 4. cap. 21. *Decessit* (Maximilianus Imperator) *anno Christi 1576. cum in cœlo ante paucos annos in Cassiopea asterismo nova ac prodigiosa visa fuisset stella*, &c.

Joachimi Camerarii tract. de Ostentis, qui cum Julio Obsequente excusus, huc referri debet: cui veteris Poëtæ versiculum Cometis applicatum & ab illo tempore à plurimis repetitum, inseruit:

Οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

Idem *Camerarius in oratione funebri* ostenta prælium & casum Mauritii Saxoniæ Electoris antecedentia commemorat: ex quâ eadem portenta excerpsit Sleidanus histor. lib. 25. ad ann. 1553.

Simon Goulartius in histor. Imperii Orientalis & Occidentalis ab anno Christi 1220. ad ann. 1600. Genevæ 1609. editâ ubi pag. 436. ex Peuceri chro-

chronico inserit hæc verba: *Fuit omnino hæc Tartarorum in Europam irruptio tempestati similis, quæ vi procellarum obvia quæque perrupit ac prostravit Antecessit anno 1211. Cometes, qui mense Majo totos dies octodecim arsit, & flammam terribilem sparsit. Ideo prorsus fatalem fuiße judico. Puniri ovium Deum ab extremâ gente* ὕβριν *& insolentiam earum gentium voluit*, &c.

Gutberlethus in chronologiâ ad ann. 1621. *Apparuit in Græciâ Cometes à solstitio æstivo usque ad æquinoctium autumnale*, &c. *Hæc signa mox secutæ sunt Turcicæ eruptiones*, &c.

Hottingerus in histor. eccles. aliquoties ostentorum meminit, part. 1. cap. 7. sect. 1. § 7.

Nos ex seculo 15. cap. 15. sect. 1. pag. 8. hæc ejus verba solummodo enotamus: *Eo prolixius & diligentius hæc* (de portentis & Cometis) *sunt eruenda, ut, ubi eadem nostrâ ætate observantur portenta, quod quidem paucis ab hinc septimanis contigit, quid de iis nobis polliceri possimus, ex historicis discamus.* Idem cap. seu sæculo 16. pag. 26. 27. 28. relatis ex continuatore Sleidani pluribus & insolitis anni 1560. prodigiis, inter quæ Cometa, concludit: *Hæc omnia quas portenderint calamitates, sequentium temporum historia docet.*

Achilles Gassarus in chronico ad ann. 1535. *Solo hoc biennio tres Cometæ infinitam rerum atque imperiorum mutationem prænuntiantes in æthere apparuerunt.* Similiter Leunclavius histor. Musulmannæ lib. 14. pag. 508. & lib. 15. pag. 583.

Atque hi quidem superstitiosæ credulitatis minime suspecti: Præter hos historici Romanæ communionis veritati testimonium perhibent: ut Thuanus lib. 21. ad ann. 1558. & lib. 27. ad ann. 1560. & lib. 46. ann. 1569. Mathias à Michou de Sarmatiâ cap. 2. scribit Cometam anni 1211. *Supra Poloucos, Tanaim & Russiam gyrantem, adventum Tartarorum significasse.* Bonifacius in histor. Hungaricâ, aliique.

Quarta classis est theologorum: inter quos primo nominandi commentatores ad *Math.* 24. & *Luc.* 21. quorum aliquos supra pag. 28. indicavimus.

Melanthon in physicâ, in epistolis, & alibi satis mentem suam de Cometarum prognosticis explicuit: & forte nimius fuit in interpretatione portentorum. Scriptor vitæ Melanthonis apud Melch. Adamum testatur *tribus annis continuis tunc Cometas conspectos; de quorum consideratione multa eruditè ad amicos Melanthon.*

Joh. Brentius in Lucam, cap. 21. homil. 39. fol. 450. b. „Deinde reci-
„tantur nobis horrenda prodigia & terriculamenta, de quibus Christus hic
„loquitur, & quæ præcesserunt devastationem gentis Judaicæ, ut disca-

„ mus inusitata signa, quæ de cœlo in aëre interdum videri solent, ut sunt,
„ Cometæ, armatæ acies, & id genus alia, non esse vana, nec deridenda.
„ Etsi enim Hieremias dicat, signa cœlestia non esse metuenda, addit ta-
„ men, sicut Gentes metuunt. Gentes enim tribuunt signis cœlestibus di-
„ vinos honores, & divinam potentiam, ac metuunt ea contra verbum &
„ promissionem Dei, adeoque malunt ad signorum cœlestium minas ani-
„ mum despondere, quam ad promissionem Dei animo confidere. Hoc est
„ cœlestia signa plusquam Deum colere. Sic cœlestia signa non sunt me-
„ tuenda. Sed cum inusitata prodigia cœli id plane malum minantur, quod
„ verbum Domini futurum adnunciat, ibi tum ad signa cœlestia ita trepi-
„ dare, ut timeas iram Dei & resipiscas, non solum tolerabile, verumetiam
„ pium erit. In malis enim futuris solet Deus & piis & impiis suas propo-
„ nere conciones, quibus illi in timore Dei continentur, hi autem ad timo-
„ rem Dei & resipiscentiam excitentur. Piis proponitur verbum Dei, quo
„ solo contenti, ambulant in vocatione Dei, & continentur in officio,
„ etiamsi totus orbis ceciderit. Impiis autem, qui verbo Dei ad terrorem &
„ resipiscentiam minime excitari volunt, ponuntur ob oculos, præter ver-
„ bum Dei, etiam stupenda signa de cœlo, ut vel concutiantur metu & resi-
„ piscant. Quare ad inusitata cœli prodigia non est ridendum, sed timen-
„ dum, non oscitandum, sed resipiscendum, quo imminentia, & peccatis
„ nostris optime merita mala suffugiamus.

Joh Spangebergius in Postillâ ad dominic. 2. adventus *Luc.* 21. fol. 13. b.
„ In singulis locis terræ-motus erunt. Resonabunt procellæ atque fluctus
„ maris ac fluminum. Extabescent homines præ timore, & expectatione
„ eorum, quæ supervenient orbi terrarum. In summa, cœlestes omnes at-
„ que terrestres creaturæ non obscuris signis iram Dei prænunciabunt. Sol,
„ Luna, Stellę, & breviter, omnia elementa portendent. Multi solis ac lu-
„ næ defectus, horribiles Cometæ, atque variæ prodigiorum rariorum figu-
„ ræ, & ostenta videbuntur in cœlo. Venena spirabit aër, & pestilentia
„ mortiferam contagionem diffundet, Rara inauditaque morbörum gene-
„ ra prædominabuntur: fluminum inundationes, & ignium incendia to-
„ tas regiones absument. Maxima tempestatum, tonitruum, fulgurum
„ atque nimborum violentia, ventorumque turbo domos & arbores cum
„ radicibus imis subvertet. Crebris terræ motibus insulæ, simul ac pro-
„ vinciæ disperdentur. Exorientur factiones, seditiones, bella, prælia-
„ que sanguinolenta. Gens contra gentem insurget, regnum adversus
„ regnum.

Jacobus Heerbrandus theologus Tubingensis in concione anno 1578.
„ Tubingæ habitâ, inter alia sic auditoribus suis loquebatur: *Vos vero audi-*

„ *tis quidem, at non admittitis in cor. Non metuitis Turcas? Non meministis*
„ *virgæ* nuper in cœlo conſpectæ: horrendi illius, inquam Cometæ? Vidi-
„ ſtis nuper aquarum inundationem horribilem, &c. Hanc concionem à ſe auditam Martinus Cruſius tanti faciebat, ut non ſolum Græco ſermone inter audiendum eam notaret (hic in tranſitu obſerva non tantum antiquos olim, aut ex proteſtantibus & reformatis diligentes ac pios quoſvis auditores in Angliâ, ſed & in Germaniâ conciones excipere ſolitos), ſed & Metrophani Metropolitæ Berrhoënſi, & Patriarchæ Conſtantinop. Vicario, ejuſdemqne fratri tranſmitteret; cum hâc clauſulâ: Hæc tibi capita ſunt illius concionis: hic noſtrorum in templo concionandi modus: Turco-Græciæ lib. 7. epiſt. 24. pag. 474. Ibid. in annotationibus ad lib. 7. p. 511. refert Cometæ illius Conſtantinopoli & Tubingę conſpecti figuram, ſitum, & conſequentia. *In oppido*, inquit, *vicino Reutlingâ anno 77. & in Januar. 78 peſte obierunt 906. homines, Tonitrua 15. Maji 1578 poſt 12. uſque poſt 2. horam diei magna: & imbrium effuſio ponderoſa, inundatio lata, & nonnihil grandinis. Laceratio tunc vinearum; interitus alicubi hominum ac jumentorum, & in oppido Horba afflictio.*

Mornæus Pleſſiacus, Usherius, Pezelius theologi, ſupra alia occaſione adducti ſunt: Victorinus Strigelius in poſtillis à Pezelio 1584. editis, ad domin. 2. adventus, pag. 10. „ Nimis leviter ſentiunt de pulcherrimis mundi
„ corporibus, qui putant Solis & Lunę & aliarum ſtellarum motum tantùm
„ eſſe ſigna tempeſtatum, cùm Deus ideo has notas impreſſerit cœlo, ut
„ Rebusp denunciarent ingentes caſus. Eclipſes, conjunctiones, prodigia,
„ trajectiones, Cometæ ſunt Dei oracula, quæ minitantur vitæ hominum
„ ingentes calamitates & mutationes: ut cùm Græcis longum & civile bel-
„ lum impenderet, multis ſignis tantæ calamitates, quæ erant pœnæ magno-
„ rum ſcelerum, ſignificatæ ſunt.
„ Nam & miræ magnitudinis ſaxum ad Argos fulmine è cœlo delatum
„ eſt, & ante illius lapidis caſum quinque & ſeptuaginta dies aſſiduos cor-
„ pus igneum eximiæ magnitudinis cœlo ſpectabatur, ut ſcribit Plutarchus
„ in vita Lyſandri. Denique initiò ejus belli tanta Eclipſis conſpecta eſt,
„ ut tenebræ eſſent, ſimiles nocturnis. Hoc exemplum recenſui, ut oſtende-
„ rem, manifeſtam impietatem eſſe, non conſiderare ſignificationes illas,
„ quæ divinitùs in cœlo ſcriptæ ac pictæ ſunt.
„ Sed ſi quis & autoritatem requirit ex ſacris literis, quæ obſervatio-
„ nes commendet, habet in Matthæo 24. Chriſti teſtimonium graviſſi-
„ mum, ubi ſcriptum eſt: Statim poſt tribulationem dierum illorum Sol
„ obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo,
„ Hic locus Matthęi lucem addit narrationi quæ eſt in Luca. Docet enim

„ qualia ſigna futura ſint, videlicet, Eclipſes Solis & Lunę, & caſus ſtel-
„ larum.

„ Etſi autem magna pars generis humani deridet hęc ſigna, & clamitat,
„ etiam ſuperioribus ſeculis Eclipſes accidiſſe, ut poſteriore Epiſtola cap. 1.
„ Petrus pulchrè deſcribit prophanam ſecuritatem ultimæ ætatis mundi: ta-
„ men certum eſt, tàm magnas & crebras Eclipſes nunquam antea conſpe-
„ ctas eſſe, quales in hac poſtrema mundi ſenecta divinitùs monſtratæ
„ ſunt.

„ Anno ſalutis noſtrę 1414. quo Synodus Conſtantienſis habita eſt, ac-
„ cepimus Solem adeò obſcuratum fuiſſe in ipſa pompa, qua panis geſtari
„ ſolebat, ut aves in terram deciderent, ſubita caligine tanquam nocturna
„ perterrefactę.

„ Anno ſuperiore 44. ut alia exempla omittam, quatuor Eclipſes inuſita-
„ tæ apparuerunt. Has conciones cœleſtes non aſpernemur Epicuręo mo-
„ re, ſed cùm Chriſtus prædixerit, talia ſigna anteceſſura eſſe extremum
„ diem, agamus pœnitentiam, & oremus ut digni efficiamur conſpectu filii
„ hominis.

Simon Pauli in dominical. ad eandem dominicam 2. adventus ſimilia habet de creaturis iram Dei & triſtes impendentium pœnarum miſerias & ęrumnas nuntiantibus. De ſui temporis ſignis. *Plurima ſigna in totâ naturâ apparet, naſcuntur monſtra, videntur Cometæ, chaſmata & his ſimilia.* Plures poſtillas & conciones non accumulo: Ex adductis ſatis conſtare poterit, quomodo luce euangelii & reformationis exortâ eruditi & pii concionatores ad ſigna illa attenderint. Zanchius de divinat. ſupra pag. 33. cit.

Simon Goulartius eccleſiaſtes Genevenſis, & exercitatus theologus ſcriptis non paucis celebris, in commentariis ad Bartaſium, & in hiſtor. ſupra inter hiſtoricos cit.

Joh. Gul. Stuckium; & Hottingerum theologos Tigurinos in præced. claſſe hiſtoricorum adduximus.

Perkinſus in tract. de prognoſticationibus: *Proculdubio Deus Cometas extraordinario mittit tanquam gravis iræ ſuæ minantia ſigna.*

Zegedinus in locis commun. tab. 1. generaliſſimam rationem cognoſcendi Deum, ex creaturis ſeu operibus probat, quod homines obſervarunt in operibus ampliſſimam majeſtatem, &c. quod *ſenſerunt terrorem quendam non vulgarem, ex fulminibus, peſte, terræ motibus, terræ hiatibus, portentis cœleſtibus in ſole lunâ, ſtellis, & Cometis magnarum cladium prænuntiis.*

Zanchius part. 1. de oper. creat. lib. 3. cap. 2. exemplis ſui temporis & ex hiſtoricis, etiam textibus Math. 24. Actor. 2. Joelis 2. adductis, aſſerit, *raro*

ad.

admodum Cometas visos, quos non sit insecutum malum aliquod ingens; & aliquanto post, hâc thesi concludit: *Cometæ, tametsi à naturalibus fiant causis, solent tamen ad id à Deo ordinari, ut divina ejus judicia per eos portendantur.* Postea ad sequentem thesin 3. annotat, *Idcirco Cometæ Christianis hominibus metuendi non sunt: sed ex illis potius ad veram pœnitentiam, fidemque in Jesum Christum animari debent. Cometæ enim sicut sunt ceu feciales Dei adversus impios: sic præcones sunt ejusdem apud pios; quibus eos ad veram resipiscentiam hortatur.*

Martyr in commentar. ad Genes. 1. v. 14. *Reponuntur in hoc genere* (signorum) *prodigia & portenta, quæ Deus sæpe ostendit ut ejus ira vel misericordia præsentiatur. Christus dicit futura signa in sole & luna & stellis*, &c. *Istis vero pii se consolantur, quia sciunt illa in bonum sibi cooperatura*, &c. *deinde lætantur, quia sciunt illa patris sui esse exercitum. Et filii Dei remissiores revocantur ad pœnitentiam, ac suadentur, ut ad patrem redeant. Impii vero perturbantur, nec sciunt quid consilii capiant; ut Nero, qui metu fulgurum coronatus lauro, speluncas aut cryptas subibat.* Cum his conferri debet epist. Martyris ad Lavaterum (supra cap. 4. exhibita) ubi de ostentis illic dissertata applicat Cometis.

David Pareus in dispp. theologicar. volumine à Joh. Philippo Pareo anno 1611. edito, disp. 8. pag. 153. *Habent etiam sidera, siderumque passiones naturales* SPIRITUALEM PROGNOSTICATIONEM, *quando sunt signa gratiæ vel iræ divinæ prænuntia: gratiæ quidem, ut Iris Genes. 9. 8. iræ vero & pœnarum eventuumque tragicorum, ut totales defectus luminarium, chasmata, præsteres, parelii, stellæ cadentes vel crinitæ*, &c. *quas bello Octaviano magnarum fuisse calamitatum prænuntias apud Ciceronem Balbus refert lib. 2. de nat. Deor.*

Heidfeldius in Sphinge theologico-philosophicâ edit. ult. anno 1631. pag. 1113. de nupero Cometâ (puto Cometam anni 1618. designari) sententiam suam profert his verbis: *Equidem Chaldæus non sum*, &c. *Ego communiter non referre eum aureum sæculum, opinor. Et sane quisquis Deum res novas moliri & conversionem status in universâ Europâ non videt, nil videt.*

Fridericus Spanhemius part. 2. dubior. euangel. dub. 27. §. 6. inter alia argumento hoc probat stellam Magorum Math. 2. non fuisse Cometam, quia Cometarum *omina* non sunt *fausta, sed scæva & tristia.*

Cum libellus hic noster bonam partem excusus esset, commodum mihi transmissa est disputatio Clariss. Joh. Henrici Heideggeri de signis cœli, in Illustri Gymnasio Arnoldino, quod est Steinfurti, 7. Januar. 1665. proposita: Ubi §. 17. contra contemtores Cometarum sic determinat.

,, Verùm piam ego, & dignam Christiano homine opinionem & fidem
,, illorum esse censeo, qui agnoscunt, Cometam esse pœnitentiæ concionatorem,
,, & iræ Divinæ certissimum indicem, destinatum divinitus vel propter
,, gentiles, qui verbi Divini institutione non fruuntur, vel propter eos,
,, qui cùm in Ecclesia sint, tamen verbum Dei negligunt, & ejus institutionem
,, flocci pendunt; quin etiam quoties non resipiscunt homines, eo
,, signo portendi judicia Dei tum in Ecclesia tum in Politia. Ac tale signum
,, esse Cometam, demonstrat scriptura, ratio, experientia, denique universalis
,, consensus gentium. Scripturam quod attinet, illa testificatur, sidera
,, Cœli data esse *in signa* Genes. I. 24. Signa autem sunt, ut supra explicavimus,
,, aliquando etiam extraordinaria, quibus Deus suam vel gratiam
,, vel iram hominibus demonstrat. Quod cum de cæteris stellis verum sit
,, & ejus rei exempla in scripturis occurrant, cur de Cometis negabimus?
,, Deinde Joël. II. 30. Deus tanquam prævia horribili illi diei minatur:
,, נתתי מופתים בשמים ובארץ דם ואש והמרות עשן *Et dabo*
,, *prodigia in Cœlo & in terra, sanguinem, ignem, & columnas fumi.* Quid
,, per sanguinem, ignem, columnas fumi faciliùs intelligimus quàm Cometam?
,, Qui quidem ratione materiæ est *fumus*, ratione formę *columna*,
,, uti apparet in caudatis; ratione qualitatis *ignis*, ratione coloris *sanguis*.
,, Neque verò etiam ratio id abnuit. Quamvis enim uti paulò ante ostendimus,
,, naturalis causa ejusmodi rerum non sit Cometes, tamen naturalis
,, ratio quemvis paulo prudentiorem advertit, ut agnoscat, tale quid à
,, Cometis significari. Etenim ratio judicat, primò Cometam tanquam inusitatum
,, quid non dubium esse portentum. Secundò, cùm quædam in
,, generatione & motu Cometæ occurrant, quæ hactenus nemo mortalium
,, explicare quivit, colligit, immediatam Dei actionem ad ejus productionem
,, & motum concurrere; quod certo est indicio singularis ominis.
,, Quid hic de experientia dicam? Cui manifestè contradicere velle Sophisticum
,, esse meritò pronunciat Galenus, ubi de astrorum effectibus loquitur.
,, Colligatur omnium experientia temporum, & calculo rite subducto
,, decernatur, annon plerique malorum, qualia morbi, pestis, revolutiones
,, imperiorum, mutationes notoriæ in Ecclesia, puta dominatio Antichristi,
,, persecutio fidelium, denique bella; Syrma post se traxerint? Exempla,
,, si res doctorum judiciis ambigua foret, ex scribi varia possent ex
,, probatissimis tum gentilium tum Christianorum Scriptoribus. Denique
,, omnium gentium ac ætatem consensus, & virorum doctorum, superstitioni
,, minimè deditorum, si ab uno vel altero discesseris, conspirant; uti facilimum
,, probatu foret, siquidem id ageretur.

Hoc mense Aprili ornatiss. & doctiss. juvenis, pro tempore hujus nostræ

Academiæ civis communicavit mihi judicium eximii Theologi Hadriani Pauli in Ill. Scholâ Hammonensi, literis ad se perscriptum: quod per omnia cum nostrâ & communi sententiâ convenire gaudeo.

Catalogo testium theologorum protestantium & reformatorum huc usque perducto, commodum amicus mihi suppeditat concionem sequentem.

Georgius Fhelavius in concione Germanicâ tit. Stern-predight / habitâ Dantisci in templo Mariano postea typis editâ anno 1653, in epist. dedicator. & in ipsâ concione exemplis tum domesticis (cometæ istic visi anno 1652.) tum extraneis antiquis & recentioribus, probat cometas, aliaque ostenta esse calamitatum & magnarum mutationum signa prognostica. Specialiter notat (in epist. dedicator.) cometam conspectum à 20. Decembr. anni 1652. usque ad 10. Januarii anni 1652. *non tam facile oblivioni tradendum.* Ibidem exemplis quibusdam obscurationis solis docet eam esse mutationem prognosticam. Exhibet etiam hæc verba Illyrici ex clave script. part. 1. pag. 589. *Revera in magnis calamitatibus aut instantibus magnis prælis solent ista luminaria aliquando mutare colorem.*

Ibid. in epistol. dedicator. in notis marginalibus: ,, Ideo, inquit, laudatur Nicol. Melderus apud Wolfium lection. memorabil. tom. 2. pag. ,, 560. ann. 1549. voce SIGNA. quod *talia cum piâ ad publicam pœnitentiam adhortatione publicavit.*

Eâdem pag. epist. dedicator. in ipso textu exhibet verba viri Dei Lutheri anno 1525. ex tom. 3. Jenensi Germanico fol. 114. A. per terribilia signa & portenta in cœlo & terrâ visa præsagire aut metuere se dicit magnum instare infortunium & insignem in Germaniâ mutationem. Concludit hoc voto: *Utinam metuatis hanc Dei iram & resipiscatis*, &c.

In ipsâ concione pag. 25. citat Fhelavius Sam. Fabritii Cosmotheoriæ sacræ lib. 2. cap. 19. qui affirmat ab a. 1500. usque 1618. visos Cometas 34.

Pag. 34. citat Albini Molleri Theologi & Astronomi in inferioris Lusatiæ Marchionatu libellum Germanico tit. Bericht von Comet-stern ann. 1604. ubi consequentia Cometarum dicuntur, infortunia in religione, legibus, statutis, privilegiis; bella, seditiones, rapinæ, clades, incendia.

Ibidem indicat plenam descriptionem Cometæ 1652. editam à Joh. Jacobo Cramero. Et disput. D. Laurentii Eichstadii. Et Albertum Linemannum.

Pag. 36. 37. docet praxin spiritualem ex apparitione Cometarum 1. ut agnoscamus incomprehensibilem Dei potentiam. 2. ut agnoscamus gravitatem peccatorum nostrorum & iram Dei adversus ea accensam 3. ut

agnoſcamus Dei infinitam & ineffabilem Dei miſericordiam. Cometa enim eſt cœleſtis præco pœnitentialis.

Pag. 43. & 44. 45. adhortatur ad verum Dei timorem: ac patheticè perſtringit *Epicureos Cometarum contemtores*: quos Turcico cuidam Baſſæ comparat, qui (teſte Weinrichio in catalogo Cometarum fol. 74.) conſpecto Cometâ anno 1572. ex aſtrologis ſuis quærebat, quid portenderet; illiſque reſpondentibus, imperii Turcici magnam calamitatem & defectionem; ſumto arcu verſus ſolem ſagittam emittebat, additis his verbis: *Quantumcunque nobis inſortunium minaris, nullas tamen vires, nullam potentiam habebis.*

Hæc ex doctiſſ. Fhelavii concione hic exhibere volui, tum quod piè & practicè de hâc materiâ loquatur; tum quod alios theologos proteſtantes (quos modo ex eo notavi) mihi nec lectos nec viſos, indicet, atque ita catalogum teſtium contra Epicureorum contemtum, & virorum de hoc ſeculo (*Pſal.* 17.) ſecuritatem augeat.

Lambertus Alardus in commentario ad Val. Flacci Argonauticon lib. 6. v. 608. *Nunquam ſpectatum impune Cometam. Conſidera ſis illum, qui per totum annum ſupra diam Hieroſolymorum urbem verticalis fuit. Immo vel unicum illum qui anno Chriſti* 1618. *Germaniæ iram Dei minatus eſt Vim quantas turbas, quantas florentiſs. Rerumpubl. everſiones dedit!* &c. *Non ergo vana ſuperioris dominii ætheriæque aulæ portenta ſunt.*

Ex antiquitate teſtes aliquot advocandi. Primus ſit Origenes lib. 1. contra Celſum: *Obſervatum eſt quoties res magnæ inſigneſque mutationes fiunt in terris, exiſtere hujuſmodi ſtellas* (cometas intelligit), *ſignificantes aut tranſlationes regnorum, aut bella, aut quidquid poteſt apud homines contingere ad commovendas res terrenas validum.*

Gregorius Magnus homil. 1. quæ eſt ad Luc. 21. „*Erunt ſigna in ſole* „*& lunâ*, &c. Ex quibus profecto omnibus alia jam facta cernimus, alia „in proximo ventura formidamus, nam gentem contra gentem exurgere, „earumque preſſuram terris inſiſtere, plus jam in noſtris tribulationibus „cernimus, quam in codicibus legimus. Quod terræ-motus urbes innu„meras ſubruat, ex aliis mundi partibus ſcitis quam frequenter audivimus. „Peſtilentias ſine ceſſatione patimur. Signa verò in ſole & luna & ſtellis, „adhuc aperte minime vidimus, ſed quia & hæc non longe ſint, ex ipſa „jam aëris immutatione colligimus, quamvis priuſquam Italia gentili gla„dio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipſumque quæ po„ſtea fuſus eſt, humani generis ſanguinem coruſcantem. Confuſio autem „maris & fluctuum, necdum nova exorta eſt. Sed cum multa pronun„ciata jam completa ſint, dubium non eſt, quin ſequantur etiam pauca quæ re-

„ restant: quia sequentium rerum certitudo est præteritarum exhibitio.
„ Hæc nos fratres charissimi idcirco dicimus, ut ad cautelæ studium vestræ
„ mentes evigilent, ne securitate torpeant, ne ignorantia languescant, sed
„ semper eas & timor solicitet, & in bono opere solicitudo confirmet,
„ pensantes hoc quod redemptoris nostri voce subjungitur: Arescentibus
„ hominibus præ timore & expectatione quæ supervenient universo orbi.

Ex sequiorum sæculorum scriptoribus Haymo, & Radulphus Ardens, in homil. ad domin. 2. adventus, textum *Lucæ* 21. de signis, ostentis, territamentis, in cœlo & in terrâ, ad sua tempora applicant, ad signa tunc conspecta, & porro conspicienda, ac novissimum Christi adventum præcessura. Alios veteres & recentiores scriptores de ostentis & prodigiis ad *Math.* 24. *Luc.* 21. *Actor.* 2. supra cap. 3. indicavimus. Quibus nunc addo ex Pontificiis Vincentium Bellovacensem in speculo historiali lib. 31. Joh. Sarisburiensem de nugis curialium lib. 2. cap. 13. Lyranum & Hugonem Cardinalem in *Luc.* 21.; Majolum in diebus canicular. colloquio 1.; Polydor. Virgil. histor. Angl. lib. 8. pag. 193. Erasmum in Encomio moriæ, & ibi commentar. Gerardi Lystrii Rhenensis, medici & philologi; & recentiores historicos ejusdem professionis; Beloldum in histor. Constantinopolit. Turcicâ pag. 692. & 709. Brachelium in historiâ rerum suo tempore gestarum pag. 14. ubi de Cometâ anni 1618. P. Boitel Dominum de Gaubertin, qui in historiâ generali annorum 1618. - 1621. Gallicè conscriptâ de prodigioso Cometâ iram Dei & calamitates per totam Europam nuntiante paulo fusius disserit. Gramondus Parlamenti Tholosani præses lib. 3. historiarum Galliæ, Cometæ anni 1618. tristia consequentia enarrat, horrida scil. bella usque ad ann. 1642. (quo hęc scribebat); & iisdem ferme diebus detectum ac punitum Tholosæ Lucilii Vanini atheismum. De quo ego antehac, quæ potui, ex libris indicium feci in 1. part. sel. dispp. tit. de atheismo: sed Gramundus, qui judicio illi interfuit, & universam historiam ex Parlamenti scriniis plenius nosse & explicare potuit; à lectore istarum rerum curioso adhuc consulendus est. Oblitus pœnè fueram Pauli Warnefridi lib. 4. de gestis Longobardorum cap. 11. & lib. 5. cap. 31.

Hæc loca tantum indicare volui, ne verbis autorum exscriptis moles libelli nimium excresceret.

Quinta classis testium est scriptorum politicorum: quales Tholosanus loco supra cit. Lipsius in monitis & exemplis polit. cap. 5. Et lib. 4. politicæ c. 16. Keckermann. lib. 1. cap. 26. & dispp. pract. disp. 35 qu. Petrus Andreas Canonhierus lib. 6. politicæ cap. 3. Joh. Loccenius lib. 1. de Republicâ ordinandâ cap. 3. Melchior Junius polit. quæst. 8. Nicolaus Cisnerus JC. & Poyistor, juris professor Heidelbergensis, consiliar.

Palatinus & assessor cameræ Spirensis, in opusculis politico-philologis lib. 2. in oratione habitâ in funere Illustriss Principis Hermanni Ludovici filii Friderici 3. electoris Palatini, qui anno ætatis 15. in Trajectu Avarici fluvii Biturigum inversâ navicula submersus erat anno 1556. Sic ergo ille pag. 293. cordatè & piè concionatur :

„ Etsi nec certa illa sanctiss. hominum prædicta exstarent, nec tot exem-„ pla vetustatis clarissimis literarum monumentis consignata idem com-„ probarent: tamen eam secum paucis jam annis rerum mutationem Ger-„ maniæqué perturbationem præstantium quorundam virorum occasus „ traxerunt, ut haud sciam, an non ęquè fidem insignis alicujus conversio-„ nis ea signa facere debeant, quæ ex illorum interitu ducuntur, (quorum „ jam salutari ope atque auxilio publicæ rationes orbatæ sunt) atque ea ipsa „ prodigia & ostenta, quorum multa varii mirandiqué generis apud nos „ in terrâ, aqua, aëre, nubibusquè sępè visa animadversaqué esse accepi-„ mus; quæ quando singula grave aliquid & sinistrum portendisse ab ho-„ minibus diligentioribus immenso jam tempore observatum, & signi-„ ficatione eventus notatum est; quis non tantam eorum tam brevi tem-„ pore copiam tristia nobis atque dira præsignificare intelligit? Quo magis „ in id nobis summa cura atque studio omni mentis & voluntatis conten-„ tione est incumbendum, ut quam multis signis iram adversus nos suam „ Deus obnunciat, eam & vitiosorum morum correctione, & vitę cor-ruptæ emendatione, & deprecatione justa, in fiducia filii sui Jesu Christi „ intercessoris nostri leniamus, aut etiam placemus.

Plures politicos nunc denuo relegere, aut de novo inquirere non vacat: tantum ex ipsis veræ religionis & pietatis adversariis unum atque alterum testimonium adscribo. Machiavellus lib. 1. disputationum (*discursus ipse suâ linguâ appellat*) cap. 56. hanc hypothesin capiti præfigit: *Magnos motus prædici solere, cum in urbibus tum provinciis; idque signis quibusdam, aut hominum præsagiis denuntiari.* In ipso textu sic loquitur: *Ut causam facile confitebor me ignorare: ita rem ipsam cum ex antiquis tum novis exemplis agnoscere oportet, & confiteri omnes magnos motus, quicunque aut urbi alicui aut regioni evenerunt, vel à conjectoribus, vel à revelatione aliquâ, prodigiis que cœlestibus signis prædici ac prænuntiari solere. Et ne procul petitis exemplis hoc demonstrare velle videar domesticis utar*, &c. Postea: *possem hujusmodi rerum plurima* (prodigia scil.) *alia exempla adducere: sed unum ex veteribus tantum adjiciam*, &c. Tandem concludit: *Experientiâ certè compertum habemus, talia signa sequi solerè magnos aliquos motus.* Videant petulantia nonnulla ingenia, ne irreligiosus hic Machiavellus experientiæ volens nolens cedens, contra ipsos

ipsos in die judicii insurgat. Addimus, quem Dudithio antitrinitario opponimus, antitrinitarium Joh. Crellium Francum, cujus tractatus de Deo ejusque attributis ante annos aliquot in vicinâ urbe excusus est cum Joh. Volckelii Misnici Institutione de verâ religione. Is ergo cap. 6. pag. 62. ex prodigiis & portentis magnas mutationes præcedentibus, contra atheos probat esse Deum; & Machiavellum ad partes adducit, atque in contradictiones adigit. Gentiles ejusmodi portenta ad animum revocasse, & ad metum ac cultum numinis istâ occasione excitatos fuisse, ex historicis eorum, aliisque antiquariis satis superque constare arbitror. Quod ad Muhammedanos, penes illos aliquam portentorum ejusmodi observationem & conscientiam esse, liquet ex *Crusii Turco-Græciâ*, in notis ad lib. 7. pag. 501.

„Die, inquit, 25. Febru. 78. Literas accepimus Gerlachii 29. Decemb. 77. scriptas, ubi inter alia, hæc. Novemb. 10. (inquit) primum „hic visus est Cometa, prolixam caudam trahens: qui nunc multò, quàm „initio, altior, paulatim evanescit. Sophi quidam Turcarum (ecce ine- „ptias) judicant: stellam novam esse, quæ nunc tertiò appareat. Primò, „visam fuisse, ante Gomorrhę excidium: secundò, Pharaoni interitum „prænuntiasse Nunc (quia non igneo, ut illis temporibus, sed albo co- „lore, appareat) fertilitatis prænuntiam esse.

„ Paucos ante menses, ex Halepo (Hierapoli) Syriæ urbe; Constanti- „nopolin vocatus est Astrologus quidam: qui Sultanum de fortuna suâ „ex astris præmoneat. Ideo in Galatensi colle extruxit profundam dete- „ctamque turrim: cujus summo imposuit Astrolabium, & multos circu- „los ex Orichalco magnos: inde prædicturus scilicet quas Gentes amicas „quas inimicas, habiturus sit Murates. Operi perficiendo septennium „sumpsit, quotannis stipendio trium millium Ducatorum: ejus duplum, „finito opere, à Rege accepturus. Adjutor ei est Judæus quidam Thes- „salonicensis: qui ambo, Cometam hunc, Persiæ & Arabiæ bellum mi- „nari dicunt. Hæc, tunc. Exitus verò tandem hic fuit (sicut D. Wen- „cesslaus Budowezius à Budowa, 10. Mart. 80. Gerlachio scripsit) quòd „sphericum illud opus, mense Januario, spatio unius horæ, omne solo „æquatum est: quòd vulgò crederetur, id omnis hactenus mali (bello „in Persis infeliciter gesto) causam fuisse.

Judęos quamvis vanitatibus & superstitionibus repletos ad Cometas similiaque prodigia attendere, discimus ex masséchet seu tract. Thalmudico *berachot*, qui omnium primus cap. 9. §. 2. על הזיקים *al hassikin*, &c. hoc est, *super Cometis* (sic notæ Mischnaiot, & Gemara interpretantur), *& super terræ-motibus, & super fulminibus, & super tonitribus,*

& super ventis dicit, *benedictus cujus potentiâ & robore plenus est mundus.*
Missis extraneis finio catalogum his tribus testimoniis.

Primum est, ecclesiastica quasi interpretatio Biblior. Belgicorum in notis ad Luc. 21. v. 25. quas nostrates ibi legant, & locum Flavii Josephi ibid. citatum conferant lib. 7. cap. 12.

Secundum est Lutheri in Genes. 1. v. 14. „ Quare existimo astrologi-„cas prædictiones non satis tuto hoc in loco fundari. Sunt enim signa „rationalia, ut sic vocem: hoc est per rationem collecta. Magis autem „proprium est, si intelligamus Mosen *de signis quæ Deus ostendit*, *ut homi-„nes in genere vel admoneantur*, *vel terreantur.*

Tertium est Andreæ Osiandri in notis ad Bibliorum Latinorum, (edit, quartę anno 1611.) ad Luc. 21. v. 25.

„ Etsi enim eclipses Solis & Lunæ, & aliqua meteora habent suas phy-„sicas causas: tamen sicut iris (cujus etiam causas reddere solent physici) „est signum gratiæ, quod Deus nolit post diluvium, mundum totum ob-„ruere aquis: ita crebiores eclipses & tot meteora possunt esse signa rui-„turi mundi. *Quare talia prodigia non sunt contemnenda.* Ita etiam nihil „obstat quod hæc eadem signa jam olim quoque fuerunt conspecta. Nam „mundus etiam olim securitatis vitio liberavit; *atque adeo ejusmodi signis „& admonitionibus in oculos incurrentibus opus habuit.*

Plura sive exempla, sive testimonia, ad communem consensum si quis desideret, adeat catalogos Cometarum & prodigiorum, & scriptores hactenus recensitos: quibus annumera, qui peculiaribus tractatibus de Cometis scripserunt: quales nunquam mihi visi, sed ab aliis indicati; *Ambrosius Magyrus*, apud Buchelium in notis ad Bekam supra cit.: *Mizaldus* in Cometographiâ apud D. de Chavigny pag. 102. *Hieronymus Mugnoz* mathematicus Philippi II. Regis Hispaniar. in libro de Cometâ anni 1572. apud eundem Chavigny pag. 157. 161. 162. 181. *Johannes Wainstler* electoris Saxonici mathematicus in prognostico Parisiis anno 1581. excuso; apud eundem pag. 181. *Johannes Weytzius* in tract. quod signa in cœlo portendant mala: apud ipsum Weitzium in comment. ad lib. 6. argonautic. Val. Flacci v. 607.

CAP. VI.

Objectionibus respondetur.

QUamvis vix operæ pretium sit objectiones seorsim excuti; cum fere nullæ sententiam nostram cap. 3. perspicuè propositam tangant; & rectum, juxta philosophum, sui atque obliqui sit index: quia tamen unam atque alteram jactari percipio, quæ omnem omnino ut ut maximè generalem & indefinitam Cometarum significationem explodere videtur, non gravabor cum iis reliquas, quæ nunc in mentem veniunt, examinare. Hic præmoneo me non tam ex autoris alicujus aut autorum lectione objectiones colligere, quam ex auditu: plerisque enim scriptoribus per alios indicatis destituor, ut Erasto, Squarcialupo, Puteano, Gryneo, Sixto ab Hemminga. Eadem chordâ ἀγνοίας ἐλέγχου & ἑτεροζητήσεως si qui (uti arbitror), oberrent, aut sententiam nostram, & monitionem piumque timorem ex conspectu insolitorum hujusmodi phasmatum conceptum exsertè & in terminis non oppugnent, utique & illis satisfactum putabo.

I. *Object.* Esse opinionem seu errorem popularem. *Resp.* Si error est, non est vulgi τῶν πολλῶν contra sententiam sapientum: sed ipsorum sapientum: uti *cap. præced.* ostensum est. Quinam errores dicantur populares, antehac docuimus in 3. *part. sel. disp. tit. de Errore & Hæresi.* Scriptores qui errorum popularium catalogos contexuerunt, à nobis istic indicati, hunc errorem reliquis non annumerant. Inter eos πολυμαθὴς *Thomas Browne* medicus Anglus in Pseudodoxiâ epidemicâ patrio sermone anno 1646. conscripta, studiosè persequitur errores philosophicos, & historicos: sed de errore circa apparitionem Cometarum, ne γρῦ. Adducat forte quis illud Taciti lib. 14. annal. cap. 22. *Inter quæ & sidus Cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regis portendat.* Sed opinionem vulgi qui dicit, ilico non affirmat esse errorem; quamvis etiam non neget. Quod ex collatione lib. 15. annal. cap. 47. melius forte constare poterit: *Vulgantur prodigia imminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non alias crebrior, & sidus Cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum.* Historiâ & experientiâ præeunte, vere dictum ab Hieronymo Wolfio J.C. tom. 1. lection. memorabil. pag. 359. *Certissimè talia signa prodigiosa in admirationem & suspectionem sui rapiunt non tantum simplex & rude vulgus, sed etiam doctiores, & sapientiores asserunt hæc portendere & præsagire miserias & calamitates superventuras ilico Christianis.* Ubi laudat autorem suum.

II. *Object.*

II. *Object.* Multa de Cometarum præsagiis, & malis Cometas consequentibus, referuntur incerta, & ab ejusmodi historicis, quorum fides apud cordatiores vacillat. *Resp.* sit sane: quid tum? Ergone quæ vera sunt & verè à fide dignis referuntur, talia esse desinent? Ergone nulli temporum historiæ credendum? Triumphent ergo Pyrrhonii & Sceptici, triumphet sacra Barbaries, & Dea Moria. Quin in scholis & Academiis sepositâ omni lectione, omni studio historico:

Infelix lolium, & steriles dominentur avenæ,

Libelli scil. *de arte nihil credendi*, &, *quod nihil scitur:* quos antehac alicubi sparsos ferunt. Scriptores de veritate religionis Christianæ, quales Eusebius de præparatione Euangelicâ, aliique antiqui & recentiores alibi nobis indicati, unâ liturâ tot ductas à se lineas inducant, siquidem historiis renuntiandum sit. Scio delectum historiarum & historicorum habendum, nec sine face criticâ studium hoc tractandum: & satis superque de his monuerunt *Peucerus*, *Meurerus*, *Melchior Canus*, *Possevinus*, *Keckermannus*, *Vossius, in tract. de historiâ.* Nobis etiam ante annos tres & triginta necessitas objecta fuit, aliquid de certitudine historiæ & delectu historicorum disserendi *lib. 3. desper. causæ*, *Pap.* Sed illis non obstantibus, dicendum cum Grotio libro 1. de verit. relig. pag. 15. edit. in Fol. *Certissimum divinæ providentiæ testimonium præbent miracula, & prædictiones, quæ in historiis exstant. Referuntur quidem multa id genus fabulosa: sed quæ testes sui temporis idoneos habuerunt, id est, tales quorum nec judicium nec fides laboret, rejicienda non sunt, quasi omnino talia fieri non possint.*

Instantia. Sed instabit quis, in dubium trahi relationes historicorum de malis per Cometas prænuntiatis: cum tot ac tanta bona Cometas secuta potius debuissent notari, & ab nonnullis historicis jam notata sint? *Resp.* Quamvis Cometam aliquem bona aliqua secuta fuissent, quâ quæso mentis ἀγχινοίᾳ inde quis inferret, graves calamitates non fuisse è vestigio aut post secutas? Menstruo, annuo, biennali, triennali spatio judiciorum divinorum cursus circumscribendus non est. *Deinde* Deus propter hominum peccata non deserit gubernationem mundi, nec destruit naturæ ordinem, nec desinit pluere super bonos & malos, nec hostibus suis benefacere de cœlo, nec oculos à suis in hoc mundo avertit, quamvis mundus sit in malo positus. Quin contra mitigat pœnas, & parcit se invocantibus. *Ut nulla est sinceræ voluptas, sollicitumque aliquid lætis intervenit;* sic vicissim Deus creator lucis & tenebrarum, *in irâ misericordiæ recordabitur*, Habac. 3. vers. 12.

Denique, cum magnæ calamitates populo superveniunt, non repugnat aliquibus in illo populo, aut vicino populo bene esse. Ut enim in naturâ

gene-

generatio unius est corruptio alterius, & vice versâ: sic in rebus humanis diminutio aut depressio unius, est accretio aut exaltatio alterius. Particulares tamen illæ sive aliquorum in populo, sive vicinorum, sive extraneorum à malis illis immunitates, aut etiam benedictiones, cum publicis & gravibus calamitatibus in staterâ appensæ, non præponderarent; non magis quam terrę Gosen immunitas, plagis totius Ægypti; & enatatio unius toti naufragio; aut aliquot domus intactæ, totius urbis incendio.

Quod ad historiam & experientiam, non possum satis mirari eximii illius, sed nimis sceptici & desultorii ingenii Dudithii insolentiam, qui effutire ausus, *experientiam ab adversariâ parte stare proque eâ multo veriora, ne dicam omnia, testimonia dicere.* Quis ferat hæc contra omnem historiæ lucem scribi ab illo, quem in historicorum lectione minimè hospitem fuisse credendum est. !

Sed hæc prurigo novitatis, & paradoxiæ, hæc ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς, hæc fatalis ejusmodi ingeniorum scabies. Si juxta seriem & catalogum Cometarum, singulis prosperos suos exitus adscripsisset, sub solitâ inductionis clausula, *Nec ullum, aut vix ullum poterit dari dissimile exemplum:* historiarum periti ad lucernam suam historicam ea lustrassent. Sed cum hoc factum non sit, dicam cum ἱστορικωτάτῳ philosopho *Isacio Pontano*: maluisse me ut hoc ab illo probatum fuisset, quam assertum.

Quibus tantum à rebus suis otii est, paucarum horarum spatio perlustrent Cometas in chronico Calvisii annotatos, & cum singulis conferant graves calamitates ad proximum aut proximos cujusque Cometæ annos ibidem notatas.

Si cui ad manum est catalogus Cometarum *Lavateri*, aut catalogus prodigiorum *Lycosthenis*, aut *Petri Johannis Twisk* vernaculo sermone conscriptus, is exigui temporis lectione hiatum Dudithii, & sectatorum ejus facillimè obstructum videbit.

Ego cum initio statuissem historicorum exhibitionem crassæ & audaci isti ἀνιστορησίᾳ opponere: postea consilium mutavi, imprimis, quod innotuisset Clariss. & Amiciss. Collegam nostrum Berchringerum Philosophiæ Practicæ & Eloquentiæ Professorem in eo esse, ut hunc Dudithianum fastum retunderet: cujus tractatus de Prognosticis Cometarum propediem in lucem iturus est. Quia autem aliquoties, datâ occasione, ad duo peculiaria exempla Cometarum tempore Augusti, & Neronis nulla adversa, sed prospera nuntiantium, coram respondi; non pigebit responsiones hic intexere. Polyistor Vossius loc. cit. utrumque exemplum cum simplici rejectione aut præteritione dimisit. Ad prius exemplum respondeo, Cometam illum in imperio Romano ingentes illas mutationes & calamitates

ſecutas fuiſſe, quas ab ipſo illo Auguſto illatas nemo ignorare poteſt, qui ex hiſtoriis didicerit, quibus artibus & quam perfidè ſub ſpecie atque umbrâ antiquæ alicujus libertatis ac poteſtatis ſenatui relictæ, omnem poteſtatem ſibi uſurpârit, & *cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit:* ſunt verba Taciti annal. 1. Audivimus olim (a. 1637.) à Clariſſ. collega noſtro *Antonio Æmilio* τῷ νῦν ἐν ἁγίοις elegantiſſimâ & πολιτικωτάτῃ oratione artes politicas Auguſti depictas fuiſſe: quam anno 1651. cum aliis ejuſdem orationibus editam optarem legi ab illis, qui per Cometam Auguſti nil niſi tantam proſperitatem Romanis ſignificatam velint.

Felicitas ſcil. erit, cum infelices infelicitatem ſuam non ita ſentiunt, aut ſi ſentiant, profiteri non audent.

Strangulat incluſus dolor & magis æſtuat intus.

Ne dicam jam Imperio Romano & ipſi Auguſto tam proſperè omnia non fluxiſſe, cum Vari legionibus ab Arminio cæſis Romæ trepidarent ac ſi Hannibal ad portas fuiſſet, & Auguſtus (teſte *Suetonio*) mœrens ac ſolitarius audiretur ingeminare: *Quintili redde legiones.* Inſuper ſub eodem Auguſto, bella & commotiones in Dalmatiâ atque alibi imperii Romani tranquillitatem turbârunt. Vide *Melanthonem* in chronico.

Ne autem primus aut ſolus contra Cometam hunc tanquam felicitatis prodromum excepiſſe videar: indico Voſſium, qui Achillem hunc nullo reſponſo dignatur; & Tholoſanum lib. 21. Politicæ cap. 6. *Quod ſignum jucundum Auguſto fuiſſe ait Plinius, verum certè illi; ſed habuit mutationem Reipubl. Romanæ, quæ libertatem & ſtatum, quem oppreſſerat Julius Cæſar, tyrannicè tunc ſponte delatum per decem annos ſingulos primum, in perpetuum deinceps amittit.* Sed quæratur ex Rebuſpublicis, Venetâ, Helveticâ, fœderatâ Belgicâ, an ſi nuperum Cometam ſequatur imperium cujuſcunque Auguſti, præſagium ejuſdem ſibi benignum & fauſtum eſſe dicerent.

Dominus de Chavigny pag. 172. & ſeqq. præconio Auguſti & felicitate imperii ipſius ex Paterculo, poëtis, & ſcriptoribus iſtius temporis exhibitâ oſtendit quantum hac in parte adulationi datum ſit ex nummis Adolphi Occonis medici Auguſtani. Quibus imperante Diocletiano inſcriptum erat: *Lætitia Auguſti.* Et, *providentia Deorum, qui ex Aug.* Et, *genio populi Romani*, &c. Quin ipſe Dominus de Chavigny cum hanc adulationem detegit, ab eâ non abſtinet pag. 181. 186. & ſeqq. in benignis & felicibus Cometis Regum Galliæ Henrici 3. & Henrici 4. explicandis; quorum tamen exitus, per ſcelera paricidarum, fuit infelix. Novimus quomodo mendaces panegyrici, mercenarii hiſtorici, eſurientes poëtæ, κόλακες an κόρακες aulici vento paſcant eos, à quibus paſci deſiderant.

Quis

Quis expedivit psittaco suum χαῖρε, &c.
Magister artis, ingenique largitor venter, &c.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poëtas & poëtridas picas,
Cantare credas Pegaseium melos.

Ad secundum exemplum, quod Seneca Neroni aut sibi blandiens adfert lib. 7. cap. 17 de Cometâ, *qui sub Nerone Cæsare apparuit, & Cometis detraxit infamiam*: Respondemus, imperium Neronis post exactum quinquennium probasse, quam benigna & felicia hic Cometa nuntiârit: cujus felicitatis (ita dictæ) ipse Seneca pars fuit. Et dato non concesso, hunc unum à regulâ exceptum, lætum fuisse nuncium: quid hoc ad axioma de felici Cometarum denuntiatione constituendum? Una hirundo non facit ver.

III. *Object.* Cometæ non sunt causæ malorum, nec occidunt Reges, &c. *Resp.* futili huic objectioni nobis non est respondendum: qui Cometas tantum signa gravium calamitatum in genere, non vero earum causas sive in genere, sive in specie, ex universali experientiâ, de communi consensu agnoscimus. Dudithius promiscuè signa & causas nominat, & indistinctè adversarium hunc in pariete pictum oppugnat. Atqui ipse, & si qui eum sequuntur, meminisse debebant, homonyma ante factam distinctionem nihil significare, & consequenter nihil certi pugnari aut propugnari posse. Supra *cap.* 3. communem sententiam de Prognostico Cometæ explicuimus: & exsertè rejecimus, omnes speciales prædictiones ex decem in eo observandis. 1. magnitudine. 2. colore. 3. splendore. 4. formâ. 5. duratione. 6. situ. 7. loco. 8. motu. 9. habitudine ad solem 10. situ in mundo, in regione scil. aëriâ, aut ætheriâ.

IV. *Object.* Fuerunt mortes regum, & inde secutę mutationes, fuerunt alicubi aliæ calamitates; quas nulli præcesserant Cometæ. *Resp.* Hinc nihil contra communem sententiam concludi potest. Est enim consequentia inconsequens à particulari ad uniuersale. Hanc aut istam calamitatem non præcessit Cometa tanquam signum prognosticon: ergo nunquam graves & publicas calamitates, Cometæ tanquam earum prognostica præcedere credendum est. *Deinde* tota hęc ληρολογία nititur falsâ hypothesi, quasi scil. communi sapientum sententiâ statueretur, Nullum in hoc mundo grave aut publicum malum evenire, quod ante per Cometas non denuntiaretur. Cum solummodo, docente experientiâ, statuant, Nullum aut fere nullum Cometam apparere, qui gravium & publicarum calamitatum præambulum & nuntium non præstet. Apage istam sive προσποίησιν, sive morbidam subtilitatem, quæ hinc τὸ ἀντιστρέφον reciprocum extraheret. Nullus Cometa sine

ſine malo , conſequenti ſcil. : ergo nullum malum ſine Cometâ , antecedente ſcil. Non ſequitur: non magis, quam ex lætalibus ſignis mortem denuntiantibus apud *Hippocratem lib.* 2. *aphor.* 12. & 13. *lib.* 3. *aphor.* 10. 12. *lib.* 4. *aphor.* 22. 23. 24. 26. 34. 35. 46. 48. &c. & ſimilibus ubi ſuum τὸ θανάσιμον, τὸ κακὸν, τὸ μοχθηρὸν, τὸ κάκιστον appingit, concludi poteſt ; Ergo nullius mors ſine iſto aut iſto ſigno antecedenti. Enuntiatio quęlibet affirmans ſeu κατὰ παντὸς, non eſt excluſiva: ut omnis canis , aut omnis leo eſt animal; Ergo ſolus canis , aut ſolus leo eſt animal ; & nullum eſt animal, quod non ſit canis aut leo. Cor gladio pertuſum mors ſequitur: Ergo nemo moritur, niſi pertuſio cordis præcedat.

Denique in exemplis illis malorum , quæ eveniſſe dicunt, ſine præambulis Cometis : meminerint attendere , an non alia σημεῖα, τέρατα, φόβητρα (utor phraſibus ſcripturæ *Luc.* 21. *Actor.* 2.) in cœlo aut in terrâ præceſſerint, quæ ſcripturâ & experientiâ dictante, calamitatum iſtarum & judiciorum Dei præambula & prænuntia fuiſſent. Deus enim non tantum per Cometas, ſed etiam per terribiles ignes, per terræ-motus, aliaque inſolita terriculamenta iram ſuam de cœlo manifeſtare ſolet : uti *ſupra cap.* 3. *argum.* 2. & 3. oſtenſum eſt.

Nec contemnendæ numeratoribus calamitatum ſine portentis antecedentibus, *Corn. Gemmæ*, *Milichii* & aliorum limitationes ſupra exhibitę. Oracula, denuntiationes, & conciones Cometarum quorundam, compara cum prędicatione Jonæ, cap 3 v.4. *Adhuc quadraginta dies*, &c.

V. *Object.* Multi aut ſaltem aliqui apparuerunt Cometę, quos nullę calamitates ſecutæ ſunt. Ergo vanum aut ſuperſtitioſum omne præſagium. *Reſp.* Conſequentiam à particulari ad univerſale non procedere. Ad antecedens reſpondeo, attendendum eſſe ad ea , quæ ad objectiones 2. & 4. jam dicta ſunt: ut feliciores hac in parte hiſtoricos ſe prębeant. *Deinde* falsò præſupponi , à ſapientibus κατὰ παντὸς, hoc eſt, de omni Cometa, magnarum calamitatum pręambulum & prognoſticon ita prædicari , ut nullum poſſit dari diſſimile exemplum. In quo graviter hallucinantur. Theologi non tantum, ſed & philoſophi atque aſtronomi (inter quos *Peucerus*, *Gemma*, *Milichius*, *David Chriſtiani*, ſupra citati) non faciunt Cometas τεκμήρια ſeu ſigna prognoſtica neceſſaria : ſed *ſigna* iræ Dei, & *ſigna comminatoria* ac *commonitoria* (detur venia technologematis , quamvis in Cicerone non compareant) : quale ſignum erat prædicatio Jonę, cap. 3. v. 4. *adhuc quadraginta dies*, & *Ninive ſubvertetur.* Quale nuntium per prophetam factum regi Hiskię : *Sic dixit Dominus Deus domui tuæ*, *quia morieris tu & non vives.* Jeſa. 38. v. 1. Qualia monita & nuntia quomodo accipienda ſint, quodque in vanum facta non ſint, ideoque minimè contemnenda,

nenda,

nenda, ante annos unum & triginta disseruimus in responso epistolico de termino vitæ ad ampliss. senatorem & literatissimum medicum *Beverovicium*; quod postea cum aliorum eruditorum ad eandem quęstionem responsis editum est in 4. & anno 1641. seorsim recusum in 8. Addo minime versatos videri in logicorum διατριβαῖς de τοῦ κατὰ παντὸς, hoc est de necessitate enuntiationis in primo gradu necessitatis, qui est, de omni; & de apodixi necessaria quę haberi potest ac debet in Ethicis, œconomicis, politicis, atque artibus De quo egregiè monuit *Aristoteles in Ethicis ad Nicomachum lib. 1. cap. 3.* ubi paraphrastes ejus *Andronicus Rhodius* à clariss. *Heinsio* a. 1607. primum, & denuo a. 1617. gr. lat. editus addit disciplinas logicas & physicas; solâ necessitatis ἀκριβείᾳ ac subtilitate disciplinis mathematicis relictâ: additâ hac ratione, Quod res istic aliter se habeant; hic vero minimè. Nam secundum subjectam materiam hic sufficit τὸ κατὰ παντὸς haberi, quod sit ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, id est, quod communiter aut ut plurimum aut plerumque tale sit. Sic prognostica medica medicorum, politica prudentissimorum politicorum, militaria veteranorum militum, tempestatum aëria aut elementaria (astrologica hic volens non tango) agricolarum & nautarum: sic multi aphorismi Hippocratis, multa axiomata politica, multæ gnomæ Ethicæ, œconomicæ, politicæ, (in proverbiis Salomonis,) accipiendæ sunt. De *Richteri* collectaneis axiomatum, deque *Erasmi* & aliorum quamplurimis adagiis, idem esto judicium. Quid quod ejusmodi gnomæ aliquot ab ipso Servatore prolatæ e. gr. de prophetâ contemto in patriâ *Luc. 4.* exponibiles sint (ut scholasticorum termino utar), per τὸ ut plurimum aut plerumque. Idem dicendum de axiomatis naturalia signa tempestatum Servatori nostro probata *Math. 16. Luc. 12.* continentibus. Simili fere modo exponendum illud Epimenidis ab Apostolo *Tit. 1.* probatum, Κρῆτες αἰεὶ ψεῦσται, *Cretenses semper mendaces*, &c. Et sic sententia illa, de affectu matrum erga liberos, exponibilis ostenditur *Jesa. 49.* Sed quid ultra de necessitate propositionum apodicticarum, & de agitatâ illâ lege ac conditione *de omni*, (quam *Ramus* omnibus disciplinarum præceptis fixam volebat) explicando me & lectorem fatigo: cum ante annos complures *Philippus Scerbius* Medicus, philosophiæ Professor Argentinensis in diatribis suis contra Ramum doctè & plenè hoc egèrit; eundemque postea contra Henningum Rennemannum pro Rameâ methodo certantem, defenderit celebris medicus & philosophus *Andreas Libavius* in schediasmatis contra Rennemannum. Video *Scherbii* vestigiis complures eum secutos, in explicatione τοῦ κατὰ παντὸς institisse. Dimitto hanc objectionem, desumtam ab uno atque altero Cometa (palmarium exemplum hic plerumque facit Cometa Augusti) mala non portendente, verbis philosophi 1. Ethic. μία γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ *una hirundo non*

facit ver: aut si mavis, axiomate Practicorum, *Exceptio confirmat regulam.*

VI. *Object.* Cometæ sunt naturales & habent causas naturales, ergo nihil portendunt? *Resp.* 1. ad antecedens: si causas intelligunt philosophis perspectas & explicatas, negari posse. Supra citavi judicium Vossii ex lib. 3. cap. 9. cujus sententiæ & alii adstipulantur. Et certè variantes physicorum & astronomorum sententiæ, (apud *Keckermannum in dispp. physicis*, *Vossium cap. cit. Libavium in declamatione de Cometâ* & in 2. *part.* Singularium, *Froymundum in Meteorolog. Davidem Christianum in tract. de Cometis*) & non pauca de eorum materiâ, loco, motu duratione, consumtione hactenus vix explicata non dissuadent de τοῦ διότι eorum posse nos hactenus ἐπέχειν aut doctam ignorantiam profiteri; & in τοῦ ὅτι, id est, quod sint & quod aliquid portendant, experientia cogente, tantisper quiescere. Mathematicus Philippi 2. Regis Hispaniar. *Hieronymus Mugnoz* (apud *D. de Chavigny* pag. 162.) juxta metriam & calculum suum, Cometam quem decies toto orbe terrarum majorem fuisse asserebat. Quo hiatu, cum eum obstruere nolim, multo minus admittere, tantisper uti licebit, ad maxima & portentosa ejusmodi opera Dei sive in cœlo sive in aëre extra ordinem producta summâ cum admiratione observanda; & iisdem aliquid amplius tribuendum, quam ordinariæ dierum & noctium, marini fluxus & refluxus, tempestatum anni vicissitudini, avium volatui, piscium natatui, &c. Plinius lib. 2. cap. 84. titulum præfigit de *miraculis terræ motus.* Quidni nos Cometis, quamvis quod ad ortum, quantitatem, figuram, motum, &c. naturalibus, aliquod *naturæ miraculum*, aliquod θεῖον (non minus ac Hippocrates pesti) tribuamus? Quidni cum divino Psalte Psal. 92. ad conspectum Cometarum, exclamemus: *Quam magna sunt facta tua Jehova! valde profunda sunt cogitationes tuæ. Vir brutus non agnoscit, & stultus non animadvertit istud.* Quibus scil. placet illud Epicurei Poëtæ,

Nil admirari prope res est una Nimyce,
Solaque quæ possit, facere & servare beatos.

Qui in naturâ tantum naturam naturatam contemplantur, & supra eam ægrè ad Deum naturæ autorem & moderatorem, mentem animumque attollunt. Audi alterum Epicureum Poëtam, Lucret. lib. 1.

Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse 'st
Non radii solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species ratioque:

Et paulo post,

------ jam rectius inde
Perspiciemus: & unde queat res quæque creari,

Et quo quæque modo fiant operâ sine Divum.

Qui idem ferè sub finem ejusdem libri musis suis & sibi tanquam primo inventori applaudit:

Avia Pïeridum peragro loca, nullius ante
Trita solo, &c.
------ *juvatque novos decerpere flores,*
Insignemque meo capiti petere inde coronam
Unde prius nulli velârint tempora Musæ,
Primum quod magnis doceo de rebus, & arctis
Religionum animos nodis exsolvere pergo.

Resp. 2. infirmitas hujus consequentiæ, jam à theologis & philosophis ostensa est, exemplo iridis. Miror hodiernos opponentes hactenus ex nullo eorum hoc didicisse. Videant inter alios *Zanchium part. 1. de oper. creat. lib. 3. cap. 2. Pezelium in 2. part. obj. & respons. Melanth p. 81. Keckermann. lib. 6. system. phys.* qui iisdem fere *Zanchii* verbis idem respondet. *Andr. Osiandrum in notis ad Luc. 21. in fine præced. capitis cit Froymundum in meteorolog. p. 196. Alsted. part. 2. theolog. natur. p 360. Senguerdium lib 4 phys. cap. 2. in fine.*; *Hottingerum loco supra cap. 5.* Quamplurimæ instantiæ dari possent, de rebus naturalibus in sensus incurrentibus, quæ tamen signa sunt, & præter se aliud aliquid intellectui nostro ostendunt. Inundatio, incendium, horrendæ tempestates, siccitas, fertilitas, morbi, mors; terræ-motus, monstra, pestis, fames, cibus. potus, fœtura gregum. depastio locustarum aliorumque insectorum naturalia sunt; & tamen in iis Dei ira, maledictio, judicium, justitia, pœna, castigatio, clementia misericordia, benedictio considerari possunt; quippe eorum effecta, testimonia, signa. Actor. 14. v. 17. *Quanquam non passus est se esse expertem testimonii bona tribuendo dans nobis cœlitus pluvias ac præstituta tempora fructibus perferendis, implens cibo & delectatione corda nostra.* Hose. 2. v. 21. *Et erit etiam in die illo, ut ego exaudiam cœlos*, &c. Levit. 26. v. 19. *reddam cœlum vestrum tanquam ferrum, terramque vestram sicut æs.*

Et de omnibus illis calamitatibus & maledictionibus Deus exsertè loquitur Deuter. 28. v. 46. *Eruntque in te pro signo & pro prodigio, atque in semine tuo usque in sæculum.* Atqui omnia illa, aut saltem pleraque habebant causas naturales.

Non dicam jam de agno paschali, de aquâ, de pane, de vino, de oleo effuso super caput Aaraonis; quæ omnia sunt naturalia, nihilominus rei sacræ sunt signa divina & supernaturalia. Sic etiam Cometæ in suo genere sunt signa iræ Dei, & magnarum calamitatum: idque ex Dei voluntate & ordinatione: uti factorum experientiâ docemur. De quâ mox ad object. 7.

Resp.

Resp. 3. Dato naturales esse Cometas & causas eorum naturales: non tamen extraordinaria & insolita hæc Dei opera ac phasmata eodem in gradu collocari debent, cum operibus & effectis perpetuis, ordinariis, quotidianis, e. gr. ortu solis, cursu fluminum, aliisque in regno minerali, vegetabili, animali actionibus & passionibus.

VII. *Object.* Si Cometæ sunt signa aut naturalia sunt aut thetica. Si thetica, aut ex humanâ, aut ex divinâ ordinatione. Atque nullum istorum dici possunt. *Resp.* propositio major disjunctiva negari potest. Signa astrorum *Genes.* 1. *v.* 14. sunt & naturalia, & positiva divina; idque ex ordinatione divina. Si omnes Cometę aut saltem aliqui sunt elementares, aliquarum calamitatum, in elementaribus & causæ naturales & signa esse possunt: uti hoc à Cl. *Senguerdio loc. cit.* explicatur. Sed hoc aliis calamitatibus, ubi intercedunt actiones hominum, applicari nequit. Et quia nititur hypothesi, quod Cometæ omnes aut aliquot sint elementares, (quam alii negant): volens nunc prætereo, & generali malorum denuntiationi aut comminationi insisto. Ad minorem respondemus, esse signa supernaturalia ex ordinatione divinâ, quarumvis calamitatum supra *cap.* 3. enumeratarum. Sed hic forte quærent, ubi Deus hoc significârit esse talia signa, idque ex suâ voluntate & ordinatione. *Resp.* Ipsis factis & eventibus significavit. Qui elementa theologica inspexit, (ad *Thomam* cum scholasticis *p.* 1. *qu.* 19. *artic.* 11. 12. nunc non ablegabo) ignorare non debet, voluntatem Dei distingui in beneplaciti, & signi: & circa divinam voluntatem duo poni signa, *verbum* seu revelationem sive ordinariam sive extraordinariam, & *factionem* seu *impletionem.* Scholastici cum Thomâ ponunt quinque, hoc versiculo comprehensa,

Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.

De quo jam non libet ἀκριβολογεῖν, nec est hujus loci. Sufficit facto ipso, aut eventu certo mihi significari hanc esse Dei voluntatem & ordinationem: Quandoquidem Deus omnia facit secundum consilium voluntatis suę *Ephes.* 1. *v.* 11. & omnia quæ voluit fecit, *Psal.* 115. *v.* 3. A posteriori ergo ex facto concludo Dei voluntatem. Uti Prosper Alpinus, aliique medici præsagia mortis & vitæ ægrotantium ritè quærunt & collocant in talibus aut talibus antecedentibus, de quibus per experientiam compertum est, quod plerumque ad ea mors aut convalescentia sequantur, idque ex Dei omnia gubernantis ordinatione & voluntate; quam per antecedentia illa notificat, & medici ex multiplici observatione & communi experientia perceperunt: sic & nos signis, terriculamentis, ostentis Cometarum tanquam antecedentibus, præsagium collocamus consequentium malorum. Deus est qui antecedentia & consequentia illa conjungit, & ut plurimum con-

conjuncta vult, à nobis non separanda. Cassiodorus lib. 12. variar. epist. 25. *Nihil enim sine causâ geritur nec mundus fortuitis casibus complicatur: sed quidquid venire videmus ad terminum, divinum constat esse consilium.* Cum res ipsa loquitur, cum experientia testatur Deum hunc ordinem antecedentium & consequentium ordinare, quid logis otiosè contra contendimus? *Cœlum triste rubet* matutino tempore: Hoc antecedens & signum: *Hodie erit tempestas*: hoc consequens & signatum. *Math.* 16. *v.* 3. Quidni ex tali signo quis metuat tempestatem & greges suos ad stabula compellat; ut periculo illi subducat. Qui purulentis expuitionibus pulmones, vires, vitam paulatim exspuit & indies contabescit; serius aut citius venturam mortem exspectet, & ad eam se præparet. Palliatâ aut quâcunque aliâ medicorum curâ antecedens & lætale illud signum à morte ordinariò consequente separari non poterit: nedum ut argutiis aut verborum globulis hoc agerent philosophi & rhetores. Quamvis autem sapiens atque expertus medicus hanc specialem Dei in hoc casu ordinationem non legerit in bibliis; legit tamen in libro naturæ & experientiæ; qui libro scripturæ & juris divini tabulis non repugnat. Idem dico de speciali Cometarum juxta divinam voluntatem ordinatione ac coordinatione ad sequentia Dei judicia & magnas calamitates. Non repeto hic quid & quantum juxta *Aristotelem* locis supra *cap.* 3. *cit.* & juxta *Galenum* à *Melanthone in physicâ cit.* aliosque philosophos & medicos (inter quos *Erastus c. Statmionem pag.* 175.) experientiæ tribuendum sit.

VIII. *Object.* Dato Cometas sæpe aut aliquando præcurrere magnas calamitates: inde tamen non sequitur esse signa prognostica; sed tantum antecedentia. *Resp.* Sequitur. Unum enim idemque est & antecedens & signum prognosticum: haut aliter ac aurora quæ ortum solis antecedit, ejusdem prognosticum est, & rubor cœli vespertinus serenitatis postridianæ, & rubor matutinus pluviæ & tempestatis hodiernæ antecedens & signum est. Signum duplicem habet habitudinem & respectum: unum ad rem signatam; alterum ad potentiam cui signum est, & cui aliquid significat aut signat. Ne quis autem putet signum esse meram mentis nostræ fictionem atque imaginationem: is discat, esse aliquod fundamentum à parte rei, quamvis actualis applicatio signi ad signatum, & collatio signi cum signato perficiatur à facultate cognoscente; cui signum illud & res signata, seu antecedens e. gr. aurora, & consequens e. gr. ortus solis offeruntur. Sed Medici in parte illa medecinæ, quam semioticam appellant, & theologi in tit. de signis, symbolis, typis, sacramentis, omnesque logici cum metaphysicis facile ostendent, antecedentia sive purè talia sive etiam causas, esse consequentium suorum signa prognostica. Vide & signa *Genes.* 1. 14. Et *Luc.* 21. *v.* 7. 10. 11. 25. 28. 30. 31. & antecedentia.

IX. *Object.* Ante lapsum in statu integritatis, Cometæ non erant nec unquam potuissent esse (si per peccatum status ille non fuisset mutatus) prognostica magnarum calamitatum, ut fames: pestis, seditionum, cladium, &c. Ergo nunc non sunt. *Resp.* 1. præsupponitur, non probatur Cometas futuros fuisse in statu integritatis. Si generantur & sunt in aëre ibique dissolvuntur, juxta plerorumque physicorum descriptionem, jam nego eos illo in statu futuros fuisse; non magis quam spectra, terræ-motus, cœlum æneum, aut cœlum clausum absque terræ humectatione & fœcundatione; aut terram ferream; aut solem & Syrium ardorem, agros, segetes homines, pecudes urentem; aut eundem ita obtenebratum, ut nox diei substitutus videretur; aut aquas maris extra & ultra terminos ita exundaturas ut magnas terrarum partes cum hominibus, pecoribus, &c. haurirent; aut deformia ac terribilia monstra ex hominibus nascitura; aut catharros suffocantes; aut aëris intemperiem, atque infectionem; aut horribiles tempestates, ac procellas, aut Vesuvii aliorumque montium perniciosa incendia, Hęc enim pertinent ad vanitatem & servitutem corruptionis, cui creatura propter peccatum subjecta. *Rom.* 8. *v.* 20. 21. Quod antehac explicuimus *in* 1. *part. sel. dispp. tit. de Creatione part.* 2. §. 11. Sin vero cum non paucis astrologis in cœlo omnes Cometas collocas, & in mundo cœlesti æque ac in elementari mixtiones, alterationes, generationes admittas; jam pariter probandum esset à primævâ integrâ ac sanâ (ità loquar) & inimpeditâ naturâ simpliciter hæc omnia ita proventura fuisse, absque intercedente diminutione naturæ, & vanitatis ac servitutis corruptionis symptomate. Sed hoc probabitur ad Kalendas Græcas, æque ac mortem homini naturam esse (ut vult Seneca) non pœnam. *Resp.* 2. consequentiam non valere, ab eo quod in statu integritatis fuit aut fuisset, ad illud quod in statu peccati fuit, aut futurum est. Do instantiam hanc, in statu integritatis iris non fuit aut fuisset signum mundi non perituri per aquas: & tamen in statu peccati tale signum est.

X, *Object.* Nunquam ita comparatum est, cum rebus humanis, ut nusquam in orbe terrarum sint calamitates belli, famis, pestis, &c. Ergo nunquam non apparerent Cometæ mala & judicia illa Dei significantes. Sed posterius est absurdum. Ergo. *Resp.* Argumentum hoc duabus nititur hypothesibus. *Prior* est, nullas unquam hominibus obvenire calamitates, quæ Cometæ alicujus apparitione non prænuntientur. Sed hoc falso præsupponi, & communi sententię affingi supra dictum est, ad *object.* 4. *Posterior* est, Cometas omnibus & singulis per universum terrarum orbem gentibus, regionibus, hominum ordinibus, familiis, magnas calamitates eventuras semper prænuntiare. Quod communis sententia non tenet: sed potius

tius oppositum, quod cum gentes, quibus apud prophetas passim denuntiantur dies tenebrarum, atris illis tempestatibus involvuntur; gens Deo dilecta, aut aliæ gentes, aut in eâdem gente civitates, familiæ in lumine ambulant: quod dum illic jejunia, hic eucharistica, dies bonos & lætos celebrant: hic saccum exuunt, illic induunt: hic domus est luctus in morbis aut morte charorum; istic thalami nuptiales, ubi sponsus gaudet super sponsâ suâ. Huc applica *Psal.* 91. *&* 97. *Jesa.* 25. *&* 51. In exitu ex Ægypto Israel lætatur, Ægyptus luget.

XI. *Object.* Cometę sunt ornamenta cœli: ergo nihil mali significant! *Resp.* Straminea consequentia. Politiæ ornamentum est administratio justitiæ, defensio bonorum, & punitio malorum: ergo improbis & maleficis non portendit malum; siquidem modo in manus custodum legis & judicum incidant. Ecclesiæ ornatus est scriptura, est fax & lucerna pedibus nostris, & lex est lux (quid præstantius & amabilius luce?): ergo scriptura nihil mali peccatoribus denuntiat, aut minatur. Stellæ sunt ornatus cœli: nihilominus pugnabant contra Siseram *Judic.* 5. *v.*20. ad quem textum exstat erudita lectio Georgii Aboti tunc Academici, postea Archiepiscopi Cantuariensis.

XII. *Object.* In libro scripturæ nihil de Cometis, eorumque præsagiis legitur: ergo fabulosa, aut incerta omnia, quæ de iis narrantur. *Resp.* 1. Immo legitur *Math.* 24. & *Luc.* 21. territamenta & portenta illa in cœlo aut in terrâ esse antecedentia & *signa* eversionis Hierosolymæ & populi Judaici; quæ exsertè ad discipulorum postulatum à Christo designantur. *Resp.* 2. Dato autem hoc ita esse, non concesso: quid tum? Multa alia sunt, quæ in libro scripturæ non leguntur: sed tamen vera sunt, quia leguntur in libro naturæ, ac habentur per experientiam, & rationem: ut e.gr. multa γνῶστα mathematica, physica, nautica, medica; præsertim quæ *Hippocrates* passim in aphorismis de signis lætalibus & *Prosper Alpinus* in libro de præsagiendâ vitâ & morte ægrotantium, idemque de medecinâ Ægyptiorum: Idem de reliquis omnibus medicorum dictatis de virtutibus herbarum, succorum, lapidum, &c. de signis in morborum cognitione, deque his aut illis chirurgicis operationibus juxta methodum medendi adhibendis, judicandum est. Jam vero librum naturæ pervolvere Deus jubet *Jesa.* 40. *Job.* 38. 42. & veritatem duce observatione, experientiâ, ratione ex eo libro haberi scriptura affirmat *Rom.* 1. *v.* 19. ubi quod de Deo cognosci potest, à Deo revelatum esse dicitur. Dicam verbo, & ex libro scripturæ & ex libro naturæ ejusmodi portenta haberi; eaque signa dici posse & naturalia & supernaturalia: haut aliter ac Deum esse, & providentiam esse & naturaliter & supernaturaliter cognoscitur.

XIII. *Object.* Sententia communi opposita, magis facit ad errores & superstitiones populares, vanitates divinatorias atque astrologicas exstirpandas: atque una nimium metum, qui aliquos coquit & versat sub pectore fixus, revellendum. *Resp.* Scitè sane & opportunè! Quasi quis Empedoclem ardentem Ætnam insulturum, opportuno importuno clamore, ab aquâ & submersione retrahere satagat. Superstitiones cavendas esse sat sciunt doctrinam scripturariam professi: Astrologicarum divinationum, vanitatibus jam pridem in scholis Christianis renuntiatum esse, literati quilibet & semiliterati vel ex resonantiâ parietum in auditoriis philosophicis, theologicis, juridicis percipere potuerunt. Frustra specifica antidota parari videntur, ubi nulli tali morbo laborant: Contra Scepticismum, Epicureismum, numinis ἀφοβίαν, admirandorum Dei operum ἐξουθενισμὸν, libri scripturæ & naturæ neglectum, si non contemtum, spiritus fortitudinem (ut utar atheorum technologemate) forte utilius antidota conquirerentur. Si quis profanum hoc sæculum novarum opinionum ferax virtutis & pietatis sterile circumspiciat, si mundi nosocomia tot stultorum & fanaticorum catervis repleta perambulet, videbit aliis nunc auxiliis aliis defensoribus tempora nostra egere.

XIV. *Object.* Si autoritatibus & testibus agendum: non desunt viri eruditi hujus sententiæ autores. Quandoquidem ergo in varias sententias itum, & adhuc sub judice lis est; quid ni pro libertate philosophicâ aut ἐπέχωμεν, aut in alteram sententiam eamus? *Resp.* Exceptio hęc Scepticis, novatoribus, paradoxis, Epicureis, Lucianis, viris de hoc sæculo, omnibusque glebæ suę (hoc est, peccato in deliciis) affixis perquam familiaris & parata est; ut scripturæ, experientiæ, rectæ rationi & vel totius Christianismi consensui, sive inventam sive quæsitam & subornatam unius atque alterius sublestam opinionem opponant; immo & in æquilibrio cum universali rectè sentientium & sapientum consensu componant; dicendo, opinionum divisio est; ergo ad problemata dialectica seu topica hęc rejiciantur, de quibus in alterutram partem probabiliter sub umbra disserunt, queis vacat & lubet. Aliter si sentiant, & loquantur viri justi & receptæ veritatis tenaces; ilico ἄτοποι, φόρτικοι, vitæ & societatis humanæ suavitati onerosi judicantur.

Resp. 2. De autoribus quibusdam, quos ab aliis citatos cognovi, hactenus tamen mihi videre non contigit, supra *cap.* 2. respondi: ut & de iis, quos legi. Postquam istud & proximè *seqq.* capita essent excusa, suppeditatur mihi ab amico, concio sideralis doctiss. *Fhelavii* habita Dantisci anno 1653.; ex cujus lectione pag. 32. (in notis marginalibus) disco, Eliam Majorem Uratislaviensem etiam censuisse, *Cometas omnia bona*

por-

portendere. Quis vir ille fuerit nescio: hoc saltem scio audax illud assertum à Dudithiano non abludere. Et forte Dudithii fama & in orbe Europeo per tot annos æstimatio, cum specioso ratiuncularum & dictionum choragio, virum hunc incautum & Dudithianæ apostasiæ ignarum, à suorum viâ tritâ viâ tutâ, in avia ista abduxerunt. Sed multiplex eruditio, aliæque insignes Dudithii dotes, non magis veritati, pietati, & Christianismi consensui præjudicare debent; quam Juliani apostatæ Græcanica literatura, cum prudentiâ politicâ, fortitudine militari, & apice imperatorio conjuncta. In quem duæ orationes invectivæ piissimi & disertissimi Nazianzeni ab historiarum studiosis aliquando legi poterunt. Ut verbo dicam nihil tam absurdi in philosophiâ aut theologiâ excogitari poterit, quod aliquis, aut aliqui non fuerint amplexi: uti constat ex *Plutarchi* libris de placitis philosophorum, & *Epiphanio*, *Augustino* aliisque hæresiologis alibi indicatis. Conjungat quis forte pauculis illis paradoxologis Origenem lib. 1. contra Celsum, qui Chæremonem Stoicum in commentario de Cometis, adducit dicentem, *quod interdum etiam exorti Cometæ res bonas futuras præsignaverint*; idque *declarantem exemplis ex historiis petitis.* Adhoc responderi posset cum Davide Hoeschelio in notis ad Origenis libros c. Celsum: „ Non rectè igitur parœmiæ illi οὐδεὶς „ κομήτης ὅστις οὐ adjectum est hoc acroteleution à Joach. Camer. κακὸν φέρει, „ nisi accipiamus ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, quum hujus tot exempla suppetant. Aliter etiam & convenientius cum textu & scopo Origenis respondemus: Origenem istic præsupponere & præmittere magnas res, insignesque mutationes in terris significari per Cometas, *translationes scil. regnorum, aut bella, aut quidquid apud homines potest contingere ad commovendas res terrenas validum.* Stellam Magis nativitatem Christi significantem ibidem statuit, *non fuisse novam, nec ulli è notis istis similem, quæ vel in firmamento sunt, vel in orbibus inferioribus: sed ejus generis, quales Cometæ visuntur temporanei, docides, pogoniæ, pithi, aut quomodocunque libet Græcis, variis nominibus signare horum differentes figuras.* Hinc præmisso testimonio Chæremonis Stoici, quo ad hominem (ita loquar) contra Celsum & Gentiles utitur, sic infert: „ Ergo si ad regnorum nova- „ tiones aliosque insignes casus terris stella quæ vocatur crinita exoritur, „ aliudve sidus simile, quid mirum si id factum in nativitate renovaturi „ genus humanum, &c. Vides ergo, poni ab Origene, sed trepidè, stellam illam Magorum *Math.* 2. fuisse Cometam aut Cometis similem: saltem non fuisse ex stellis in principio creatis; & magnam in mundo mutationem, novi scil. regis ac regni ortum portendisse. Sed nos cum plerisque commentatoribus ad *Math.* 2. Cometam esse negamus: & dato fuisse Co-

metam, bonum ac felicitatem regni ſpiritualis portendentem, negamus una illâ exceptione univerſale iſtud axioma, *Nullus Cometa, qui malum non ferat*, infringi: uti ſupra ad *Object.* 3. oſtenſum eſt. Vide & *Thomam* 22.*qu.*95.a.1.ad 2. Ut jam non dicam bonum ac felicitatem regis & regni ſpiritualis Chriſti longè aliud quid eſſe, quam bonum & felicitatem mundi ejuſque populorum & regnorum. Ita ut ſimul conſiſtere poſſint bonitas, felicitas, εὐταξία, pulcritudo, gloria (quæ interna & ſpiritualis eſt *Pſal.* 45.*v.*14. *Cantic.*4.*v.*7.) regni Chriſti, quod non eſt de hoc mundo *Joh.* 18.36. cum turbatione, deformatione confuſione, ingloriâ, omnibuſque populorum & regnorum hujus mundi calamitatibus. Vide *Actor.* 2. *v.* 17. - 22. Ante diem unum atque alterum cum datâ occaſione in *Melchiore Adamo* legerem vitam *Quirini Reuteri* theologi Heidelbergenſis, deprehendebam etiam ab illo refutationem epiſtolarum Rodingeri & Monavii de prognoſticis Cometarum conſcriptam; idque poſtulante Dudithio, cujus filiorum ſtudiis domi ipſius tunc præfectus erat. Miratus ſum ab aliquo autorum, quos hactenus videre contigit, tractatum illum Reuteri, non indicatum fuiſſe. Cogor dicere, cum poëta,

Ἐν δοιῇ μάλα θυμός

Animus valde in dubio eſt. An forte refutatio illa non ſit edita? An vero tract. qui exſtat ſub nomine *Dudithii* ſit *Reuteri* ſive quod ad materiæ comportationem, ſive quod ad ſtyli exornationem? Quod ad Reuterum, ſi tale quid inductione Dudithii tunc ab illo factum, putarem aſtrologicas divinationes & ſpeciales applicationes ab illo fuiſſe impugnatas; aut ſi ulterius progreſſus ſit, in juvenili ætate in domo & ſub anhelitu ac ductu patroni ſui Dudithii ſcriptum fuiſſe: ſed alium & longè mutatum fuiſſe ab illo Reutero præfectum collegii ſapientiæ, & theologiæ profeſſorem Heidelbergenſem: tunc præſertim, cum *Nicolai Ciſneri* opuſcula (ex quibus tam luculentum pro prognoſticis teſtimonium ſupra *cap.* 5. exhibemus) Heidelbergæ ederet.

Reſp. 3. Quod ad libertatem & ſubtilitatem philoſophicam, illi hac in quæſtione vix ullus relictus locus: cum in factorum hiſtoriam & experientiam ultima ſit analyſis.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 14. l. 20. lege *fati.*
Pag. 17. l. 1. lege *reperti sint.*
Pag. 18. l. 17. lege *Catalogis.*
Pag 20. l. 38. *pone. post memoratur.*
Pag. 24. l. 39. lege *prænuntiantia.*
Pag. 25. l. 8. lege *prænuntiant.*
Pag. 26. l. 19. lege *adferunt.*
Pag. 74. l. 19. lege *Lampertus.* l. 20. lege *Vah.*

